B. 6

6
7–d
15 M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
2 A
42

7 d 15

KK
I
LK

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

TRACTATVS RHETORICI

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom. S.J. Bibl. Com.

TRACTATVS RHETORICI

DE AFFECTIBVS, DE ARGVTIIS, ET DE METAPHORIS.

Authore

SEBASTIANO DE COMITIBVS

PISTORIENSI

E Societate IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PERVSIÆ, Apud Conſtantinum, 1690.
Superiorum permiſſu.

Bibliothecæ Domus Professæ Rom. Societ. Iesu.
Author D.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino

D. CAROLO

M V T O

CIVITATIS PLEBIS

EPISCOPO

SEBASTIANVS DE COMITIBVS

Felicitatem.

AD patrocinium Tuum, Præſul Illuſtriſſime, eò cum maiori fiducia meum hoc Opus confugere audet, quòd operam ſubinde meam in grauioribus Eccleſiæ Tibi commiſſæ curis adhibere non dedignaris. Cum præſertim proprium etiam atq; etiam

ſit

ſit benignitatis Tuæ, paruis obſequijs vicem rependere grandi cum fœnore. Neque verò oculos iſtos ſacris aſſiduè paginis intentos dedecere videatur ad Rhetoricos Tractatus demittere. Nec enim Te latet, Carolum Mediolanenſis Eccleſiæ Sanctiſſimum Antiſtitem, quem non tam nomine quàm exemplis ad viuum referre ſtudium prope dixerim vnicè Tuum, de profectu Adoleſcentium in humanioribus literis ſollicitum non mediocriter fuiſſe, ſuique Seminarij Clericos non modò ſecum Latino ſermone colloquentes ſed etiam è ſuggeſto concionantes, dum ipſe menſæ accumberet, fre-

quen-

quentiùs audiuiſſe. At profanis ſacriſque Oratoribus quid magis cordi eſſe debet quàm Regulas callere aptè ornatèque diſſerendi, ac proinde alienos affectus ad præſtantes animorum dotes quas feruido amore proſequendas proponunt, efficaciùs non minùs quam delectabiliùs alliciendi? Atque ad hunc ipſum finem tres iſtos Tractatus meos collimare, perſpicuum Tibi erit, ſi in eos defiges humanitatis obtutum. Certè eo ſaltem de nomine hæc nuncupationis Epiſtola non arridere Tibi non poterit, quòd, vt modeſtiſſimæ animi Tui demiſſioni obſequatur & pareat, vim ſibi ipſi infert abſtinendo à

lau-

laudibus Heroicæ illius virtutis Chriſtiano Antiſtite planè prædignæ, qua eximiam Sanguinis nobilitatem longè æſtimabiliùs in dies nobilitare contendis. Vale.

ALE-

ALEXANDER ZAMPIVS
Societatis Iesv in Prouincia Romana Præpoſitus Prouincialis.

CVm librum, cui titulus eſt: Tractatus Rhetorici de Affectibus, de Argutijs, & de Metaphoris, à P. Sebaſtiano de Comitibus noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtate nobis à P. Thyrſo Gonzalez Pręposito Generali, ad id tradita, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs ad quos pertinet videbitur. Cuius rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloq; noſtro munitas dedimus. Romæ 28. Iunij 1690.

Alexander Zampius.

Dc

DE mandato Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Domini D. Lucę Alberti Patritij Peruſiæ Epiſcopi ego ſubſcriptus perlegi hos Tractatus de Affectibus &c. Auctore R.P. Sebaſtiano de Comitibus è Societate Ieſu, cumq; nihil contrarium Fidei, boniſq; moribus, ſed omnia concinnè, & ad ingeniorum incitamentum, atq; Reipubl. litterariæ ornatum & decus, repercrim, imprimendos cenſui. In quorum &c. Peruſiæ hac die 6. Iulij. 1690.

Io: Bernardinus Morandus Phil. & S. Theol. Doctor Collegiatus, ac librorum Cenſor Synod. manu propria, &c.

Imprimatur

Fr. Paulus de Octauianis Ord. Præd. Inquiſitor Generalis Peruſiæ.

IN-

INDEX TITVLORVM.

TRACTATVS I.

De Affectibus. pag. 1.

PRoœmium. 1.
Caput Primum de Affectibus vniuersè. 2.
Pars prima. Affectuum natura ac diuiſio. 3.
Pars altera. Quænam ad permouendos Affectus requirantur. 7.
Caput Alterum de Affectibus ſpeciatim ſumptis. 16.
Pars Prima de Amore & Odio. 16.
Sectio Prima. Obſeruanda circa Amorem. 16.
Sectio Altera. Obſeruanda circa Odium. 25.
Pars ſecunda de Spe & Deſperatione. 34.
Sectio Prima. Obſeruanda circa Spem. 34.
Sectio Altera. Obſeruanda circa Deſperationem. 42.
Pars Tertia de Timore & Audacia. 44.
Sectio Prima. Obſeruanda circa Timorem. 44.
Sectio Altera. Obſeruanda circa Audaciam. 48.
Pars Quarta de Gaudio & Triſtitia. 55.
Sectio Prima. Obſeruanda circa Gaudium. 55.
Sectio Altera. Obſeruanda circa Triſtitiam. 60.
Pars Quinta de Deſiderio & Fuga. 65.
Sectio Prima. Obſeruanda circa Deſiderium. 65.

Se-

Sectio Altera. Obſeruanda circa Fugam. 69.
Pars Sexta de Ira & Manſuetudine. 74.
Sectio Prima. Obſeruanda circa Iram. 74.
Sectio Altera. Obſeruanda circa Manſuetudinem. 80.

TRACTATVS II.

De Argutijs, vulgò Conceptibus. 88.

Caput Primum de Argutiarum origine. 88
Caput Secundum. Argutiarum ab Acuminibus diſcrimen, & earumdem definitio. 96.
Caput Tertium. Varium Argutiarum artificium. 113.
Caput Quartum. Quinam ſit ſtylus proprius, & laudabilis vius, Argutiarum. 159.

TRACTATVS III.

De Metaphoris. 163.

Caput Primum. Quid ſit metaphora, & qua ratione fuerit inuenta. 163.
Caput Secundum. Translationum diuiſio. 167.
Caput Tertium. Modus multiplex metaphoras concinnandi. 171.
Caput Quartum. Præcipuus metaphoras inueniendi modus ex conſideratione naturæ & Artis. 181.
Caput Quintum. Quæ ſint in Translationibus fugienda. 189.
Caput Vltimum. Translationis laudabiliores proprietates. 206.

TRA-

TRACTATVS I
DE AFFECTIBVS.
PROOEMIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SApientiſſimus ille Oratoriæ facultatis Inſtitutor Quintilianus, nihil in eloquentia difficilius, illuſtrius ac præſtantius nihil, accõmodata affectuum tractatione reperiri, libro 6.cap.2. dilucidè comprobauit. Summa enim quædam vis ac penè Diuina illa dicenda eſt quæ Auditorum animos in quem velit habitum formet, ac veluti rapido flumini obſequentes, in quam libuerit partem vehementi orationis tractu perducat. Hæc enimuero illa eſt Facundiæ tyrannis premens ſuauiter corda mortalium, de qua veriùs quàm de Cęſare Virgilianum illud, Georgic. 4. decantari queat, *Victrixque volentes per Populos dat iura*: vltro enim illius ſu-

ſubijci gaudemus imperio. Hinc acris illa eiuſdem Quintiliani adhortatio: *Huc igitur incumbat Orator, hoc opus eius, hic labor eſt: ſine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, ingrata ſunt; adeo velut ſpiritus operis huius atque animus eſt in affectibus.* Facturum itaque me operę pretium puto, ſi compendiario quidem, ſed accuratè vniuerſam tanti momenti materiem expendente, Tractatu, rationes permouendorum affectuum exponam: quò faciliùs principem Artis Rhetoricę laudem quis aſſequi poſſit. Eorum proinde tum vniuersè tum ſingillatim acceptorum explicabitur primò natura, mox Præcepta exemplis illuſtrata tradentur.

CAPVT PRIMVM.

De Affectibus vniuersè.

ANtequàm ad peculiarem de ſingulis affectibus tractationem accedamus, par eſt vt explicata

cata generatim eorum natura ac diuiſione, communes quædam Regulæ ijs omnibus permouendis aſſignentur.

PARS PRIMA.

Affectuum natura ac diuiſio.

AFfectus ſiue affectionis nomen nihil aliud ſonat niſi vim aliquam ac interiorem efficacitatem qua humanus animus afficitur, & commouetur. Porrò, varijs aliorum definitionibus prætermiſſis, illa hìc ſufficiat quam ex D. Nemeſio affert Nicolaus Cauſinus de ſacra & Humana Eloquentia lib. 8. cap. 2. *Affectus eſt ſentitentis animæ ex boni vel mali opinione nata commotio.* Quoties igitur bonum aliquod aut malum nobis ad viuum repræſentatur, ac, motu quodam intimi pectoris excitato, vel ad huius fugam vel ad illius amplexum nos abripi ſentimus, tunc gigni affectus dicitur.

Rectè autem in definitione aſſeritur, à ſentiente anima eos ortum in nobis ducere: huic videlicet eiuſmodi permotiones propriè conueniunt. Neque enim anima vegetans, vt perſpicuum eſt in plantis, neque purè ſumpta mentis intelligentia ſuis ratiocinationibus intenta, ſunt affectionum capaces.

De diuiſione affectuum alij alia. Duos eorum fontes aperit Plato, *dolorem* ſcilicet & *voluptatem*: ex quibus quoslibet ſentientis animæ motus aſſerit emanare. Ariſtoteles verò duodecim aſſignat, *iram*, *manſuetudinem*, *timorem*, *amorem*, *verecundiam*, *inuerecundiam*, *confidentiam*, *gratiam*, *commiſerationem*, *inuidiam*, & *æmulationem*: de quibus vide librum 2. Rhetoric.

Placet nihilominùs hac in re Theologiæ apicem Diuum Thomam (de affectibus fusè & ingeniosè agentem Prima Secundæ à quæſtione vigeſima tertia ad octauam ſupra quadrageſimam) vel ipſi Philoſophorum Principi præhabe-

re, eiuſque diuiſionem præ cæteris ſequi. In gemina ipſe ſentientis animæ parte, appetente nimirum ac iraſcente vndecim agnouit affectus. Et in prima quidem, quam *concupiſcibilem* vocat, collocat *amorem & odium, deſiderium & fugam, gaudium & dolorem*; itaut vnumquodque binarium contineat *paſſiones* inter ſe oppoſitas per *acceſſum* & *receſſum*. In altera verò parte cum haud abſimili oppoſitione, nempe in iraſcibili ponit *ſpem ac deſperationem, timorem & audaciam.* Poſtremo loco recenſet *iram*, quam tamen aſſerit articulo tertio quæſtionis primæ, habere non poſſe aliquem motum animæ contrarium, quia *ſolummodò*, inquit, *opponitur ei ceſſatio à motu: ſicut Philoſophus dicit in ſua Rhetorica lib.2.cap.3. quod miteſcere opponitur ei quod eſt iraſci; quod non eſt oppoſitum contrariè, ſed negatiuè vel priuatiuè.*

Attamen quoad hanc vltimam particulam, cum verſemur in queſtione merè naturali, fas mihi ſit

non ſubſcribere Sancto Doctori. Falſum quippe videtur, per meram ceſſationem à motu deferuere iræ impetum atq; deficere. Poteſt enim per motum planè contrarium comprimi: vnde eſt, quòd Philoſophus in illo ipſo capite tertio, laudato à D. Thoma, ex propoſito tractat (vt patet ab ipſo titulo) de placabilitate ac de arte placandi iram; & ipſo talis capitis initio clarè inquit, *quoniam iraſci & manſuetum eſſe contraria ſunt, & ira manſuetudini contrarium.*

Eſto igitur, poſſit ira langueſcere ac extingui per *remiſſionem* ſiue per *ceſſationem à motu*, ad quam procul dubio non datur ars: adhuc tamen cohiberi & comprimi poteſt per *ſedationem* à motu oppoſito prouenientem: iuxta illud Eccleſiaſtæ cap. 10. *Aufer iram à corde tuo.*

Quapropter irę ſubnectemus iure merito cum Ariſtotele manſuetudinem, quæ per receſſum propriamque contrarietatem habet, impedire ne ira conſurgat, vel iam

ex-

excitatam iracundiam cohibere atque comprimere. Proinde circa motum ipſius quoque manſuetudinis appoſitè & per peculiaria Præcepta verſari poteſt Ars Rhetorica : prout videre erit Capite ſecundo, ſectione altera Partis ſextę.

PARS ALTERA
Quanam ad permouendos Affectus requirantur.

NAturam non mediocriter Arti opitulari in commouendis affectibus, in dubium reuocari non poteſt. Primò itaque is ſit Orator, qui accommodatam naturæ facilitatem, artis exercitatione perficiens, ſeipſum in varios pro re nata dicendi habitus conformare queat, eoſque induat affectus quos alijs inſinuare contendit.

Præcepti huius rationem ipſe Parens Eloquentiæ lib. 2. de Oratore ſic affert. *Vt nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ niſi admoto igne ignem concipere poſſit: ſic nulla*

 mens

mens eſt tam ad comprehendendam vim Oratoris parata quæ poſſit incendi niſi inflammatus ipſe ad eam & ardens acceſſerit.

Fuſius in eandem ſententiam loco citato Quintilianus. *Quare in ijs quæ veriſimilia eſſe volemus, ſimus ipſi ſimiles eorum qui verè patiuntur affectibus; & à tali animo proficiſcatur oratio qualem facere Iudicem volet. An ille dolebit qui audiet me cum hoc dicam non dolentem? Iraſcetur ſi nihil ipſe qui in iram concitat idque exigit, ſimile patietur? ſiccis agenti oculis lacrimas dabit? fieri non poteſt. Nec incendit niſi ignis, nec madeſcimus niſi humore, nec res vlla dat alteri colorem quem ipſa non habet. Primum eſt igitur vt apud nos valeant ea quæ valere apud Iudicem volumus; afficiamurque antequam afficere conemur.*

Honorificam quoque dicentis in Auditorum animis æſtimationem magnū concitandis affectibus pondus afferre, author eſt Ariſtoteles libro 2. Rhetoric. cap. 1. Oportere enim, inquit ille, vt fide dignus in

pri-

primis habeatur Orator : tria autem eſſe quæ , præter demonſtrationem , fidem faciunt , prudentiam , virtutem , beneuolentiam. Quo namque pacto eos animos in ſuam ille trahere ſententiam valeat quibus cæterà inuiſus ſit , vel præ imprudentiæ aut labis alterius nota contemptui habitus ? Sanè vitæ integrum , morumque honeſtate conſpicuum eſſe vel certè credi Orantem , tanti momenti tantæque eſſe neceſſitatis æſtimauere ſapientes , vt non modò ingens ſed totum in hoc eſſe ad permouendos animos pondus Oratoris , aſſerat Menander apud Plutarcum in Pręcept. Politic. eo carmine ,

Dicentes inducunt mores , non dictio .

Et Plutarcus ipſe , licet non vim omnem ineſſe probatis moribus autumet , eos tamen omnis animorum motus authores ac veluti opifices , ipſam verò Eloquentiam appellet adiutricem .

Quod autem ſpectat ad ipſam dicendi facultatem , præcipua in eo

co cura verſari debet, vt ſtylus ſeſe affectuum varietati conformet. Etenim non ineptus modò ſed & ridiculus quiſpiam eſſet ſi ad permouendum affectus vehementiores, leniori ſtylo, vel ad leniores, concitatiore, vteretur. Pro re nata itaque modò ſuauiter fluat oratio ſi animos emollire contendimus, vt dulci quadam violentia ſeſe rapi paulatim ſentiant, modò ardeat ſi conamur incendere, modò flebili quodam tractu langueſcere videatur ſi volumus ad dolorem inflectere. Vno verbo quos dicentis cor in eo affectus genere ſenſus experitur, pro viribus exprimere lingua contendat.

Accuratè tamen cauendum eſt, ne dum naturam conamur exprimere, artem affectare videamur. Si enim nimis fucatam dicentis induſtriam animaduertat Auditor, iam ſe decipi timet, nec ampliùs innata quadam propenſione eos ſequitur dicentis affectus, quos à ſinceris naturæ finibus longiùs

re-

recedere conſpicit. Vnde eſt quòd penè pro oraculo in hac materia iam habeatur effatum illud, *Ars quæ nihil non efficit, ſui nihil detegit.*

Apta etiam Oratoriarum figurarum varietas ſummopere confert, tam earum quæ ad verba, quàm illarum quæ ad ſententias referuntur. Porrò qui nam aptiſſimus ſit illarum vſus diuerſoque dicendi generi accõmodatus, rectè indicauit in ſuo Mundo Oratorio capite 13. Franciſcus Briuius his verbis. *Vbi & materia grauis & magnifica eſt forma dicendi, aptæ præ cæteris erunt Commoratio, Gradatio, Epiphonema, Enumeratio, Apoſtrophe, Dubitatio, Proſopopeia. Vbi verò materies occurrit lepida & genus dicendi adhibetur illuſtre ac ſuaue, idoneæ ſunt in primis Antitheſis, Similitudo, Suſtentatio, Annominatio, Repetitio, Ethopeia, ſimiliter Cadentia & deſinentia, membrorum Parilitas, Adiunctio, Traductio & commutatio vocum. Quòd ſi pugnax oratio ſcribitur & quæ vehementi quodam ardore concitata euincere*

 ali-

aliquid ſtudet, vſurpare præſtat Interrogationem, Conceſſionem, Reticentiam, Frequentationem, Ironiam ſiue Diſſimulationem, et Oſtentationem. Vbi autem affectum aliquem ciere contendimus, ſolerter adhibeamus Exclamationes, Dialogiſmos, Proſopopeiam, Hypotipoſim, Apoſtrophem, Obſecrationem, Dubitationem, Optationem & Suſtentationem. Ad animos non tam mouendos & delectandos quàm edocendos accommodatæ ſunt diuiſio, ſubiectio, diſtributio, commoratio, ſermocinatio, frequentatio, & ſi quę aliæ clariorem reddere ſolent ſermonem, & rem propoſitam in animos faciliùs introducere. Ita Briuius.

Quamuìs autem multiplex hæc figurarum varietas identidem vſui ſit, præ cæteris tamen animos efficaciter commouent viuidę deſcriptiones ſiue hypotipoſes quæ acutiſſimè ſenſus intimos ferire ſolent. Vniuerſim quoque in adhibendis figuris Rhetoricis habenda præ oculis eſt doctrina Ariſtotelis tertio Rhetoricorum cap. 8. ita differentis. *Figura igitur orationis illa maxi-*

mè

mè probatur quæ nec metrica eſt nec ſine numero. Alterum enim non veriſimile ſit cum fictum eſſe videatur; & ſimul diſtrahit auditorem, cum attendere faciat, quando rurſus ſimile dicetur. Et verò hoc vltimo, quod Ariſtoteles indicat vitio Oratores præſertim illi laborare videntur, qui periodos ferè omnes certa quadam ſimilique arte concinnant vt & in ſimilem dicendi clauſulam deſinant. Ad quod S. Leo Papa in ſuis Sermonibus, præſtantiſſimus cęteroqui Orator, interdum propendere videtur.

Addit Cauſinus libro citato cap. 5. rationem in primis habendam eſſe Auditorum quos permouere cupimus; itaut perſpecto eorum apud quos dicimus genio, eò tantùm feratur oratio quò ſuapte natura illos ducere proprij ſolent affectus. Quod quidem eſſe neceſſarium equidem vix auſim aſſerere: reclamante præſertim Quintiliano ijs verbis, *Namque in hoc Eloquentiæ vis eſt, vt Iudicem non ad id*

tan-

tantùm impellat in quod ipſa rei natura duceretur , ſed aut qui non eſt aut maiorem quàm eſt faciat affectum. Et ſanè non eſſet cur dominam rerum animorumque Reginam cum ipſo Oratorum Principe appellaremus Eloquentiam , ſi hæc conformari deberet alienis ingenijs & ferri quò ipſam Auditorum propenſio impelleret. Imò potiùs hoc pacto adminiſtra alienorum videretur affectuum , nec animorum Regina ſed ipſis animis ſubſeruiens dicenda eſſet. Quamobrem, licet non inficier faciliori negotio in noſtram illos pertractum iri ſententiam qui ingenita propenſione in eos quos mouere contendimus feruntur affectus , nihilominùs in eo ſitam eſſe Diuinam illam Oratoriæ Artis potentiam arbitror , vt rigidiora ipſis etiam marpeſijs cautibus pectora emolliat , firmet nutantia , & molliora ac veluti laſciuientia ad ſeueriores grauioreſque repente vertat affectus.

Vltro tamen aſſentior par eſſe ,

vt

vt ſeſe Orator accommodet diuerſo Auditorum generi dum eſt concitaturus affectum ; & rationes ad permouendum corda Ruſticorum rudioriſq; Populi adhibendas ſubinde eſſe longè diuerſas ab ijs quæ nobilium doctiorumque flectendis animis ſunt idoneæ. Quam quidem diuerſitatem induſtria ac perſpicacia & ipſa conſuetudo facilè ac dilucidè demonſtrabunt.

CAPVT ALTERVM

De Affectibus ſpeciatim ſumptis.

PARS PRIMA

De Amore & Odio.

SECTIO PRIMA

Obſeruanda circa Amorem.

AMorem, qui non ſolùm eſt vnus ac primus affectuum, ſed [vt oſtendit S. Thomas 1. par. quæſt. 20. art. 1. & prima ſecundæ quæſt. 26. art. 1. alijſque in locis] eſt principium & radix cæterorum omnium affectuum, definit Ariſtoteles in Topicis hoc pacto. *Amor eſt propenſio appetitus in bonum : ſiue illud ſit verum, ſiue cogitatione dumtaxat amantis deſcriptum.* Quæ quidem diſtinctio nobis explicat, quo pacto fieri poſſit vt amor feratur in id quod reipſa malum eſt, exem-

pli

pli gratia in aliquod ſcelus. Enimuerò numquam humanus animus in tale malum amore ferretur, niſi quopiam boni colore fucatum ſua illud ſibi cogitatione deſcriberet.

Triplex boni genus, honeſti ſcilicet, iucundi, ac vtilis, triplicem elicit amorem: quorum quilibet ſicuti diuerſis excitatur à cauſis, ita & peculiaribus diuerſiſque Pręceptis indiget vt commoueatur.

Amor qui fertur ad honeſtum ex virtute, principe eius cauſa, deriuatur. Quapropter tunc honeſtatis nomine alicui amorem conciliabimus, cum illum præſtanti quapiam animi dote vel pluribus ornatum virtutibus oſtendemus. Atque adeo in ijs paſſim quos in Orationibus ſuis tuetur Cicero, ingentia quædam enitere virtutum lumina demonſtrat. In Oratione præſertim pro M. Marcello perſpicuè videre eſt, vt beneuolentiam tam erga Cæſarem quàm erga Marcellum ipſum in Auditoribus exi-

eximiam excitet, quo ſtudio & huius in Rempublicam merita & illius benignitatem atque clementiam ob oculos ponere ſummiſque efferre laudibus enititur.

Et quidem eę virtutes præcipua quadam vi pollent permouendi animos ad amorem quę magis conferunt ad Reipublicę bonum. Plus enim erga illum afficimur qui rebus præclarè geſtis publicam quoquoque felicitatem enixè curauerit, quàm erga alium qui intra priuatos veluti fines virtute præditus, ſibi ipſi tantummodò vixit. Sic efficaci elegantia Plinius in Panegyrico Traianum ſuum militibus fortitudine ac humanitate, ciuibuſque omnibus modeſtia munificentia ac Patris nedum Principis charitate, admirabilem ſimul ac amabilem expreſſit. Virtutis quæ militum in illum amorem prouocauit, inter quamplura exempla illud præcipuum. *Quid apud milites? quam admirationem quemadmodum comparaſti cum tecum inediam tecum fer-*

ferrent ſitim? cum in illa meditatione campeſtri militaribus turmis Imperatorium puluerem ſudoremque miſceres? Modeſtiam autem ac humanitatem ſummamque in populos charitatem tanti Principis ſic non multò poſt amplificat. *Quàm longa nobis cum modeſtia tua pugna! quàm tardè vicimus! Nomen illud quod alij primo ſtatim Principatus die vt Imperatoris & Cæſaris receperunt, tu vſque eò diſtuliſti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parciſſimus æſtimator iam te mereri fatereris. Itaque ſoli omnium contigit tibi vt Pater Patriæ eſſes antequàm fieres. Quod quidem nomen qua benignitate qua indulgentia exerces, vt cum ciuibus tuis quaſi cum liberis Parens viuis! eoſdem nos eundem te putas: par omnibus, & hoc cęteris maior quò melior.*

Vtilitatem definit Ariſtoteles in Rhetoricis hoc pacto. *Vtilitas eſt præſentium bonorum conſeruatio aut abſentium comparatio, aut malorum inſtantium propulſio, aut futurorum inhibitio.* Vt igitur ad amorem, qui in

in bonum vtile fertur, animos concitemus, ipſis ob oculos ponere opus eſt vel plura ex prædictis bonis, vel vnum ſaltem ex ijs, viuida quadam repræſentatione. Vnico, inſtar omnium, exemplo ſit Annibalis apud Liuium lib. 21. adhortatio, vt bellatores ſui pugnam in Romanos ſtrenuè capeſſerent. In hac enim efficaciſſimis veluti igniculis ad ſuccendendos animos vtitur, propoſita vtilitate quàm maxima, quæ ex victoria proueniet. Et primò quidem eos permouere contendit à propulſatione malorum, proculdubio imminentium niſi vicerint. *At neſcio an maiora vincula maioreſq; neceſſitates vobis quã captiuis veſtris Fortuna circumdederit. Dextra læuaque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem nauem habentibus, circa Padus amnis maior ac violentior Rhodano, à tergo Alpes vrgent, vix integris vobis ac vigentibus tranſitæ. Hìc vobis moriendum aut vincendum, milites, eſt, vbi primùm hoſtis occurrit.* Deinde eos adhorta-

tur

tur à bonorum abſentium conſecutione, eorum videlicet, quæ Romanus, ſi vincetur, copioſiſſimè ſuppeditabit. *Et eadem Fortuna quæ neceſſitatem pugnandi impoſuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne à Dijs quidem immortalibus optare ſolent. Si Siciliam tantùm ac Sardiniam Parentibus noſtris ereptas, noſtra virtute recuperaturi eſſemus, ſatis tamen ampla pretia eſſent. Quicquid Romani tot triumphis partum congeſtum poſſident, id omne noſtrum cum ipſis Dominis futurum eſt. In hanc tam opimam mercedem agite, cum Dijs bene iuuantibus, arma capite &c.*

Delectatio, vt eam definit M. Tullius lib. 4. Tuſculan. *Eſt voluptas, ſuauitate auditus, vel aliorum ſenſuum, animum deliniens.* Quamquam autem Cicero eam ferè vnicè ad extimos ſenſus reducere videatur, nihilo tamen minùs è ſententia D. Thomæ in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 1. intimos quoque ſenſus illa poteſt attingere: vt cum, ex boni alicuius iucundioris repræſentatione, mens

dele-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

delectatione perfunditur. Operæ itaque pretium eſt vt oblectamentum quod vel ſenſibus vel animo percepturi ſunt Auditores, exprimamus ad viuum: ſi quidem facilior illa accidet, eandem facilitatem proponendo; ſi difficilior, delectationem ingentem deſcribendo quam, ipſis difficultatibus ſuperatis, erunt conſecuturi. Hoc pacto, apud Virgilium primo Æneidos, diuturnis vexatos periculis ſocios ſuos hortatur Æneas, vt præ iucunditate Itali Regni à fatis ſibi promiſſi ac voluptate quam ex ipſa periculorum recordatione percipient, nouis exinde laboribus minimè abſterreantur.

O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos, vos & Cyclopea ſaxa
Experti: reuocate animos, mæſtumque timorem

Mit-

Mittite; forſan & hæc olim meminiſſe
iuuabit.
Per varios caſus &c.

Ita quoque ad amorem gloriæ Cæleſtis corda excitat Tarquinius Gallutius lib. 2. Carminum elegia 4. æternas illas delicias ob oculos ponens.

Illic ludit Amor Diuinis percitus alis
Atque nouem plaudit picta Iuuenta Choris.
Mille agitant feſtas per dulcia carmina luces,
Mille citant fidibus barbita, mille lyras.
Murmura tentantur labris oriſque recurſu
Flexanimo diſpar ſtridet auena modo.
Diſſimilique leuis variatur arundine cantus
Et digitos inter aura ſonora meat.
Scilicet his dabis vſque frui Pater optime quondam,
Scilicet hæc nobis gaudia pacis erunt,

Ca-

Cæterùm ad amorem ingentis cuiuſpiam boni [ſi præſertim id videatur honeſtatem ſimul ac delectabilem vtilitatem præferre, vt nobilibus animis videri ſolet gloria ac nominis immortalitas] licet per ardua ac per aduerſa conſequendi, mirum quales, ſcitè expoſita heroum exempla illuſtriora, faces ſuggerunt. Audi Senecam, in libro de Prouidentia cap. 3. hac via ad amantius ſtudium fortitudinis, & conſtantiæ in aduerſis, oratorio veluti ſtylo, præſtantia quæque corda excitantem. *Fortuna fortiſſimos ſibi pares quærit, quoſdam faſtidio tranſit. Contumaciſſimum quemque & rectiſſimum aggreditur aduersùs quem vim ſuam intendat. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum niſi mala Fortuna non inuenit. Infelix eſt Mutius quòd dextera ignes hoſtium premit, & ipſe à ſe exigit erroris ſui pœnas? quod Regem quem armata manu non potuit,*

exu-

exuſta fugat? Quid ergo? felicior eſſet ſi in ſinu foueret manum? Hæc & alia in eandem ſententiam Seneca. Generoſus animus ſi à feruido Oratore neruoſa vi talia ſibi exponi audiat, nonne ſuo cordi ſubdi ſentiet ad fortitudinem igniculos ab iſto ipſo quem Mutius manu premit igne?

SECTIO ALTERA

Obſeruanda circa Odium.

EST odium, è ſententia Tullij lib. 4. Tuſculan. *ira inueterata*; vel ex D. Auguſtino in lib. definitionum eſt *ira ex pluribus cauſis collecta diuturno tempore perſeuerans.* Licet autem odium ac ira videantur ſimillima ac pęne eadem, vel inde tamen eorum diſcrimen agnoſcitur quòd aliquos e. g. improbos & ſpeciatim fures (licet nihil nobis ipſis nocuerint) odio habemus, quibus tamen non iraſcimur. Quod bene obſeruat Ariſtoteles lib. 2.

Rhetoric. cap. 4. alia quoque diſcrimina ſubdens, & illud præſertim quòd ira ſemper reſpicit aliquem hominem ſingularem, puta Socratem aut Calliam: odium verò poteſt concipi etiam aduersùs aliquod totum genus; ideoque omnes odio habemus fures & calumniatores. Adde, odium magis vti ratione quàm iram: ira ſiquidem eſt cum dolore; odium ſine dolore; magis autem vtitur ratione qui non perturbatur dolore quàm qui illo perturbatur. Præter quàm quòd ipſa definitio iræ, quam ſuo loco exponemus, diſtinctam illius ab odio naturam ſatis indicabit. Videri quoque poſſunt alia diſcrimina inter odium & iram ex doctrina Ariſtotelis optimè expoſita à Syluestro Mauro in Commentario citati capitis quarti num. 18. Cæterùm S. Thomas 1. 2. qu. 29. a. 1. & 2. naturam odij explicat per hoc quòd ſit *diſſonantia quædam appetitus ſiue animalis ſiue intellectiui ad id quod apprehenditur vt repugnans & nociuum.*

Vi-

Vide ibi Caietanũ ſubtili acumine diſtinguentem odium oppoſitum amori concupiſcentiæ quod vocari poteſt odium abominationis ab odio quod opponitur amori amicitiæ, & vocatur odium inimicitiæ.

Eandem eſſe contrariorum rationem, tritiſſimum eſt Philoſophorum axioma. Quo pacto enim contrarium vnum fertur in ſuum finem, ita planè alterum contrarium expetit finem aduerſum, ac ex diuerſis oppoſitiſquē oritur cauſis. Vt igitur amor eſt ad rem dilectam naturalis propenſio, ſic odium eſt, animę ab eo, quod malum ſibi vel alijs à ſe amatis eſſe ſentit, auerſio: & quemadmodum per amorem conſecutionem boni ita per odium mali fugam optamus. Hinc fit vt omnino contraria odij ac amoris ſint incitamenta; atque adeo, ſi amoris igniculi ſunt tria illa bona honeſtum vtile ac delectabile, odij fomes eſt malum honeſtati vel vtilitati vel delectationi aduerſans.

Tria tamen nominatim enumerat Ariſtoteles è quibus frequentiùs odium coaleſcit, iram, detractionem, incommodum.

Et primò quidem facilè odium in aliquem concitabimus ſi talem eum oſtendemus cuius memoria ad iram prouocet. Tunc autem id accidet, cum eius flagitia, ſęuities, arrogantia, fęditas, cupiditas, ac in alios iniquitas ponentur ob oculos. Hiſce ſtimulis vtitur in Verrem ac in Antonium Tullius, eorum ſcelera, proborum omnium odio digniſſima, exaggerando; ac ſubinde in illos adhibendo titulos qui execrationem exacuant. In Clodium quoq; oratione pro Sextio ſic inuehitur: *At ille nefarius, ex omnium ſcelerum colluuione natus, parum ſe fœdus violaturum arbitratus, niſi ipſum eautorem alieni periculi ſuis periculis terruiſſet. Hanc tetram immanemque belluam &c.*

Meritò deinde calumniam apponit Philoſophus: vix etenim aliud quodpiam improborum hominum ge-

genus adeo exoſum inuenire eſt in Republica, vt ſuſurrones, aliorum famam iniquiùs lacerantes. Vnuſquiſque enim probus, famæ ac honoris ſui appetentiſſimus eſſe ſolet cuſtoſque vigilantiſſimus.

Tertio demum loco recenſetur incommodum, quod quidem quò maius nobis ab alio accidere quis oſtenderit, eo vehementiùs odium in illum concitabit. Et quidem concitabit vehementiſſimè, ſi expoſuerit, ab eo nobis damna prouenire in quem beneficia contulerimus. Ita Oedipus apud Statium primo Thebaidos odium in filios ſuos ſibi concitat, ſeſe ab ijs præ cęcitate deſpectum & contemptui habitum commemorans.

ecce ſuperbi
Proh dolor! & noſtro iamdudum funere Reges
Inſultant tenebris gemituſque odere paternos.
His ne etiam funeſtus ego?

Debent itaque eius, qui odio habendus videtur, iniqua damna ſingillatim perpendi & per hypotypoſim exponi, eadem amplificando præſertim ab auctoritate Dei, Legislatorum, virorumque ſapientiorum, qui ab ingratis eiuſmodi noxis ſemper abhorruere.

Cæterùm ſicuti qui amat extollit rem amatam, ita qui odit deprimit rem in quam inuehitur. Exemplo ſint Elegia Ouidij in Ibin, & poetarum Satyrę celebriores, & Iarbas quarto Æneidos inquiens

Et nunc ille Paris cum ſemiuiro comitatu.
Męonia mentum mitra &c.

Ex vi odij imprecatur quis alteri mala quælibet atrociora. Ita Ouidius loco citato

Terra tibi fruges, amnis tibi deneget vndas,
Deneget afflatus ventus & auras ſuos.
Nec tibi Sol Vagus &c.

Quiſ-

Quiſquis odit ; mala ſubire interdum non recuſat, modò ijſdem ille qui odio habetur obruatur. Ita in Thyeſte Senecæ

Hæc ipſa pollens inclyti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.

Odio habens indignatur ſi mortem vel infortunium inimicus euaſerit. Iuno ſeptimo Æneidos in Troianos

Heu ſtirpem inuiſam & Fatis contraria noſtris
Fata Phrygum. Num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi?

Præterea odio habens quempiam, in eiuſdem calamitate exultat. Sic Atreus ad Thyeſtem, poſt traditos ei Liberos epulandos apud Senecam in fine Actus quinti:

nunc meas laudo manus ;
Nunc parta verè eſt palma . Perdideram ſcelus
Niſi ſic doleres.

Obteſtatur quoque , ſe numquam odia poſiturum. Ita coniunx Herculis ad Licum parricidam , in Hercule furente actu 2. ſc. 3.

Ego ne vt Parentis ſanguine aſperſam manum .
Fratrumque gemina cęde, contingam? prius.
Extinguet Ortus, referet Occaſus diē,
Pax ante fida niuibus & flammis erit.

Denique ex comparatione viri cuiuſpiam laudibus & amore prædigni [oppoſita quippe iuxta ſe poſita magis eluceſcunt] vehementiùs concitabitur odium in eum, quem vt ſceleſtum vituperatione inſectamur . Hoc in Antonium vtitur artificio Tullius Philippica ſecunda . *Tu ingredi Cnei Pompeij domum auſus es ? tu illud ſanctiſſimum limen intrare ? tu illarum ædium Dijs*

Pe-

Penatibus os importuniſſimum oſtendere? Me quidem miſeret parietum ipſorum, atque tectorum. Quid enim vmquam domus illa viderat niſi pudicum, niſi ex optimo more & ſanctiſſima diſciplina? Huius viri in ædibus pro cubiculis ſtabula, pro triclinijs popinæ ſunt &c.

PARS SECVNDA

De Spe & Deſperatione.

SECTIO PRIMA

Obſeruanda circa Spem.

HVnc eſſe affectum illum mortalibus à Deo conceſſum in ſolatium calamitatumq; lenimen, dilucidè oſtendit Ouidius lib. 1. de Ponto eleg. 7.

Hæc facit vt viuat foſſor quoque compede vinctus
Liberaque à ferro crura futura putet.
Hæc facit vt, videat cum terras vndique nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem ſolers medicorum cura reliquit,
Nec ſpes huic, vena deficiente, cadit.

Car-

Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.

Aduerte, affectum ſpei non eſſe eundem cum deſiderij affectu. Deſiderare enim poſſumus etiam illa quorum conſecutio planè impoſſibilis apparet, vt e. g. volatum vel Mundi vniuerſi Imperium. talia tamen ſperare non poſſumus; ſed illa tantùm ſpem excitare valent, quorum conſecutio, licet difficilis, adhuc repręſentatur poſſibilis. Hinc S. Thomas 1. 2. quæſt. 25. art. 1. hæc habet. *Spes ſupra deſiderium addit quemdam conatum & quandam eleuationem animi ad conſequendum bonum arduum.* Et quæſt. 40. art. 1. *Tertiò requiritur quòd obiectum ſpei ſit aliquid arduum, cum difficultate adipiſcibile.*

Proinde cum præcipua ſpei vis in eo ſita ſit vt difficultates remouere contendat quæ ſperati boni conſecutionem impediunt, id ſibi

prę∫tare ∫perans videbitur his ratio-
nibus.

Primò ſi viam aliquam ignotam detexerit, qua faciliùs peruenire poſſit quò tendit. Hinc in Thyeſte actu 2. inuenta inſolitæ crudelitatis via, lętus Atreus iam ſperat parem vltionem.

liberos auidus Parens
Gaudenſq; laceret & ſuos artus edat.
Bene eſt, abunde eſt, hic placet pęnæ
modus.

Secundò, ſperans, plura ſibi pręſentia adminicula fingit vbi vix pauca adſunt. Ita Turnus Æneidos 11.

Sin & opes nobis & adhuc intacta
Iuuentus
Auxilioque vrbes Italæ populique
ſuperſunt,
Cur indecores in limine primo
Deficimus, cur ante tubam tremor oc-
cupat artus?

Tertiò impedimenta licet ingen-

tia

tia & quæ in deſperationem ſolent adducere repręſentanda ſunt tamquam ſuperatu facilia ab exemplis eorum qui eadem ſuperarunt: & ſimul exaggeranda ſunt bona quæ ex his ſuperatis redundabunt. Tali artificio, decade 3. Liuij lib. 1. vtitur Annibal ad oſtendendum ſuperabilia militibus ſuis Alpium iuga. *Ipſi quos cernitis Legati, non pennis ſublime elati Alpes tranſgreſſi ſunt.* Et paulò poſt: *Romam Orbis terrarum Caput petentibus, quidquam adeo aſperum atque arduum videatur quod inceptum remorari poſſit?* Eadem ratione Darius, apud Q. Curtium lib. 3. ſpem in ſuis excitare nititur victoriæ de Alexandro referendæ. *Temeritas eſt quam adhuc pro virtute timuiſtis, quæ vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia amiſſo aculeo, torpet — Alexander animal eſt temerarium & vecors, & noſtro pauore, quàm ſua virtute felicius.*

Quartò difficultas minuetur à fortitudine & conſtantia alijs in occaſionibus exhibita, & quæ ſi mo-

modò adhibeatur, felicem nunc quoque ſortitura ſit exitum. Ita Troianos ſuos animabat Æneas apud Virgilium lib. 1.

O paſſi grauiora, dabit Deus his quòque finem:
Durate & vos met rebus ſeruate ſecundis.

Alaricus quoque apud Claudianum de Bello Getico.

Anne tot Auguſtos Hebro qui teſte fugaui,
Te patiar ſuadente fugam, cum ceſſerit omnis
Obſequijs natura meis? ſubſidere noſtris
Sub pedibus montes, areſcere vidimus amnes.

Quintò reuocabuntur ob oculos conſpicua aliorum exempla in ſimilibus caſibus. Sic Ouidius lib. 3. Triſtium eleg. 5. vt ſeſe excitet in ſpem Cæſaris ad miſericordiam fle-

flectendi, varia congerit exempla.

Maius apud Troiam forti quid habemus Achille:
Dardanij lacrimas non tulit ille senis.
Quæ Ducis Emathij fuerat clementia, Porus
Præclariq; docent funeris exequiæ.
Neue hominum referam flexas ad mitius iras,
Iunonis gener eſt qui priùs hoſtis erat.

Sextò, ſpiritum quis animoſque deſumere interdum poterit à Religione, Oraculis, Numiniſque promiſſis. Hinc apud Liuium lib. 1. Tanaquil vt hortetur Seruium ad Regnum Tarquinij Priſci inuadendum, recenſet Deorum portenta. *Tuum eſt*, inquit, *Serui ſi vir es, Regnum. Erige te, Deoſque duces ſequere qui clarum hoc fore caput, Diuino quodam circumfuſo igni portenderunt. Nunc te illa Cæleſtis excitet flamma, nunc expergiſcere.*

Sep-

Septimò confugere quis poterit ad præcipuam quampiam opportunitatem temporis aut loci. Ita crebriùs, ſed præſertim lib. 3. de Ponto eleg. 3. Ouidius ſibi fingit facile fore vt reuocetur ab exilio.

Pone metus igitur, miteſcet Cæſaris ira.
Et veniet votis mollior aura tuis.
Neue moram timeas, tempus quod quærimus inſtat,
Cunctaque lætitiæ plena triumphus habet.
Dum Domus & Nati dum mater Liuia gaudet
Dum gaudes Patriæ magne Ducisque Pater:
Dum tibi gratatur Populus totamq; per Vrbem
Omnis odoratis ignibus ara calet:
Dum præbet faciles aditus venerabile templum,
Sperandum eſt noſtras poſſe valere preces.

Octauò minuendum eſt quic-

quid obſtare videtur ne conſequamur id ad quod ſpes noſtra obtinendum enititur. Hoc medio vtitur Stilico, apud Claudianum de Bello Getico, ad animandos in ſpem ſalutis & victoriæ Romanos repentina Getarum irruptione perterritos.

Nonniſi perfidia nacti penetrabile tempus
Irrupere Getæ, noſtras dum Rhetia vires
Occupat, atque alio deſudant Marte cohortes.
Sæpe laceſſitam, ſed non impune, fitemur
Auſoniam, hæc Senonum reſtinxit ſanguine flammas,
Hæc & Teutonico quondam patefacta furori
Colla catenati vidit ſquallentia Cimbri.
Vile decus quod non erexit præuius horror:
Ingentes geminant diſcrimina magna triumphos.

SE-

SECTIO ALTERA

Obſeruanda circa Deſperationem.

IN deſperationem tunc quis inducitur cum exiſtimat, omnes optati boni potiundi aditus ſibi eſſe interclusos, vel nullum extare effugium ab imminentibus malis. Hinc deſperat Ariadna apud Catullum in Argonautica:

Nam quò me referam? quali ſpe perdita nitar?
Nulla fugæ ratio, nullæ ſpes, omnia muta,
Omnia ſunt deſerta, oſtentant omnia lethum.

Exaggeranda præterea ſunt impedimenta quæ ſpem omnem intercludunt. Reuocanda quoque in mentem ſeries infortuniorum ſuorum: itaut nullas fortunæ vices à temporum mutatione expectare quis ſibi poſſe videatur; & omnia

quæ-

quælibet accidere ſibi ſinixtra cre-
dendum. Vnum inſtar omnium,
ſit in hoc affectu exemplum Dido-
nis deſperantis ac proinde vitam
ſibi eripere certò meditantis, quar-
to Æneidos.

En quid agam? rurſus ne procos irri-
ſa priores
Experiar? Nomadumque petam con-
nubia ſupplex,
Quos ego ſum toties iam dedignata
maritos?
Quis me autem (fac velle) ſinet? ra-
tibuſque ſuperbis
Irriſam accipiet? neſcis heu! perdita
nec dum
Laomedonteæ ſentis periuria gentis?
Quin morere vt merita es, ferroque
auerte dolorem.

PARS

PARS TERTIA

De Timore & Audacia.

SECTIO PRIMA

Obſeruanda circa Timorem.

RESpicit timor mala futura. Neque enim mala præterita timorem, ſed potiùs, cum quis meminit ſe ex ijs euaſiſſe, oblectamentum afferre conſueuerunt: iuxta illud Senecæ in Hercule furente actu 3. ſc. 2.

quod fuit durum pati,
Meminiſſe dulce eſt.

Præſentium verò malorum timor eſſe non ſolet ſed potiùs dolor. Gignitur itaque timor ab obiecta ſpecie mali imminentis, quod difficillimè poſſis euitare.

Et verò ſi vis vt res aliqua non agatur, timorem validè incuties de-

demonſtrando ; iacturam in illa agenda ſecuturam eſſe boni alicuius quod poſſidetur & maximè amatur. Vis c. g. ſuadere alicui vt timeat bellum, vide quid ille maximè amet. Si diuitias diligat, timorem incuties oſtendendo profundendas eſſe in bello opes. Si honorem ſummopere æſtimet, pones ei ob oculos dedecus ex periculo fugæ, & ſic de cæteris. Ita Dranccs vndecimo Æneidos timorem belli incutere cæteris conabatur dicens - *Nulla ſalus bello*. Salutem quippe omnes enixè amant.

Reuocari poterunt in mentem præterita pericula, & ijs longè grauiora ſupereſſe dicemus. Sic Latinus lib. 12. Æneid. vt Turno timorem ingerat, inquit:

Bis magna victi pugna, vix vrbem tuemur
Res Italum: recalent noſtro Tyberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes oſſibus albent.

Quid

Quid conſanguinei Rutuli quid cætera dicet
Italia, ad mortem ſi te (Sors dicta recuſet)
Prodiderim?

Exempla eorum adducentur qui in eodem genere grauiſſima perpeſſi ſunt. Ita Demoſthenes in tertia Philippica metuendum Philippum oſtendit ab exemplis vrbium prouinciarumque quas populabundus inuaſerat.

Extenuanda adminicula quę nos animare audaceſque reddere poſſunt. Idem Latinus lib. 11.

Spem ſi quam accitis Aetolum habuiſtis in armis
Ponite: ſpes ſibi quiſque, ſed hæc quàm anguſta, videtis.
Cætera qua rerum iaceant perculſa ruina,
Ante oculos interque manus ſunt omnia veſtras.

Ex oppoſito exaggeranda eſt poten-

tentia illius à quo timendum videtur. Latinus libro eodem de Troianis à quibus ſibi ſuiſque timebat.

Bellum importunum, Ciues, cum Gente Deorum
Inuictiſque Viris gerimus, quos nulla fatigant
Prælia, nec victi poſſunt abſiſtere ferro.

Ita quoque apud Hegeſippum lib. 2. de excidio vrbis Hieroſolymitanæ cap. 9. ad abſterrendos Iudęos à bello cum Romanis, de horum admiranda virtute hæc habes. *Dura belli aduersùs omnes conditio, aduersùs Romanos vltima, quos ſi fugere velis cum ſuperare nequeas, Orbis terrarum tibi derelinquendus eſt -- Quomodo poteſtis ſuſtinere eos qui de omnibus triumpharunt? Et Athenienſes quidem pro libertate totius Græcię incendio Patriam tradiderunt, ne ſibi Xerſes dominaretur; quem in terris nauigantem, in fluctibus gradientem, cum eum nec maria caperent nec terra ſuſtineret, quod Europæ*

ropæ totius ſpatia tranſitus eius itineris includeret, anguſtioribus terrarum finibus quàm exercitus commeatu: perſecuti ſunt vix vna naue fugientem- Nunc Athenienſes Romanis ſeruiunt - Alexander Magni nomen obtinuit quia Romanos maximos omnium non laceſſiuit - Ille vſque ad Oceanum victoriam extendit, Romani vltra Oceanum. Teſtis eſt Britannia extra Orbem poſita, ſed Romanorum virtute in Orbem redacta -- Romanorum improuiſo aduentu conſediſſe montes Germaniæ credidit, Rhenum exaruiſſe -- Nec incolam ſuum auro turbida Pactoli vnda extulit in ſuperbiam: ſeruit libenter quibus ſeruire Imperia videt &c.

SECTIO ALTERA

Obſeruanda circa Audaciam.

AVdacia quæ à ſpe non multùm differt, eſt generoſus quidam impetus ſeu motus animi in aleam licet periculi plenam.

Opponi audaciam timori, ita oſten-

oſtendit S. Thomas 1. 2. quęſt. 45. art. 1. *Timor refugit nocumentum futurum propter eius victoriam ſuper ipſum timentem. Sed audacia aggreditur periculum imminens propter victoriam ſui ſuper ipſum periculum.*

Ad audaciam ingenerandam, facit primò, ſi minimè nouum accidere malum de quo agitur ſed longè eſſe præuiſum oſtendas: iacula autem præuiſa minus feriunt. Hac arte propoſitis à Sibylla periculis ſeſe ad conſtantiam audacter fingit Ænęas lib. 6.

non vlla laborum.
O Virgo, noua mi facies inopinaue ſurgit:
Omnia pręcepi atque animo mecum ante peregi.

Secundò ſi rei difficultatē quam maximè poſſis imminuas, oſtendaſque, minùs arduum opus eſſe, quàm vulgò opinentur. Annibal apud Liuium decade 3. lib. 1. militibus ſuis Alpium obiectu deterritis audaciam ſic ingerit. *Quid aliud Alpes eſſe creditis quam montium altitu-*

 dines?

dines? an verè terras aliquas Cælum contingere & inexpugnabiles eſſe creditis?

Tertiò illius quì timetur potentia, minuenda eſt ab exemplis, quibus illum aliàs victum oſtendas, adeoque adducas in contemptum. Carthaginenſis quidam apud Silium Italicum lib. 2. vt contra Romanos veluti ſpernendos audaciam excitet, Attilij Reguli eorum Ducis, ab ipſis Carthaginenſibus deuicti & ad necem damnati, miſeram ſortem ſic exponit.

Vidi ego cum geminas arctis poſt terga catenis
Succinctus palmas vulgo traheretur ouante
Carceris in tenebras ſpes & cuſtodia gentis
Regulus Hectoreæ. vidi cum robore pendens
Heſperiam cruce ſublimis ſpectaret ab alta.

Quartò proponi poteſt ignominia ſecutura deficientibus ab audendo. Ita Alexander apud Curtium

tium lib. 9. proprię generoſitatis pauidis militibus obiecit exēplum vt ſtimulum ad animos audacter reſumendos. *Deſertus deſtitutus ſum hoſtibus deditus; ſed ſolus quoque ire perſe uerabo. Obijcite me fluminibus & illis belluis quarum nomina horretis. Inueniam* (ſubdit ęmulationis pudoriſq; ſtimulos) *qui deſertū à vobis ſequantur. Scythæ Bactrianique erunt mecum, hoſtes paulò ante nunc milites noſtri &c.*

Quintò difficultatē operis quod aggrederis extenuabis exemplo eorum qui eadem olim præſtiterunt. Idem Pœnus Alpium ſuperandarū difficultatem ſternit exemplo Herculis qui per illas olim excurrerat.

præſtent Alpes, altuſque coruſcos
Appenninus agat ſcopulos, per ſaxa niueſque
Per Cęlum eſt quò pandat iter: pudet Hercule tritas
Deſperaſſe vias laudemque timere ſecundam.

Sextò dux quiſpiam bellatoribus ſuis audaciam ſuggeret oſtenden

 do-

do æmulum bello ineptum & fæminam potiùs quàm virum. Ita Brunduica, apud Dionem lib. 16. ſtrenua Britannorum dux, ſuis ad pugnandum alacriter contra Romanos audaciam ſubdit deridendo Neronem eorum Imperatorem. *O infelices Romanos quì Cytharœdo & quidem malo ſeruiunt. Abſit vt in poſterum & mihi & vobis imperet Neroina. Dominetur illa Pſaltria Populo Romano: dignus eſt enim qui huic mulieri ſeruiat, cuius tyrannidem tam longo temporis ſpatio ſuſtinet.*

Septimò facile creſcet audacia ei cui oſtendes longè maiores difficultates ipſū ſuperaſſe. Æneas lib. 6. ſibi metipſi,

magnas obeuntia terras
Tot Maria intraui duce te, penituſque repoſtas
Maſsylum gentes prætentaque ſyrtibus arua:
Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.

Idemque Æneas ſocijs ſuis loco citato ex libro 1.

Vos

Vos & ſcylleam rabiem &c.

Octauò augenda ſunt diſertè bona quibus potiemur ſuperata difficultate licet ingenti quę nunc obijcitur. Ita, vt ſupra indicauimus, Annibal apud Liuium milites audaces reddit propoſita Italiæ pulchritudine ac ſimul eximia laude ipſis prouentura ex Roma deuicta.

Nonò timidiſſimum quemque audacem facies ſi neceſſitatem imminentem proponas aut pereundi aut difficultatis ſuperandæ iuxta illud Ductoris ad bellatores ſuos, *vincendum aut moriendum vobis milites eſt*. Pariter Cęſarianus Dux apud Lucanum libro quarto.

Fuga nulla patet, ſtant vndique noſtris
Intenti ciues iugulis: decernite lethum,
Et metus omnis abeſt.

Quæ quidem ratio validiùs vrget eo gloriç ſtimulo vt non moriamur inulti. Sic Catilina ad ſuos, apud Saluſtium, in fine libri de Coniuratione; *Præterea neceſſitudo*

vos hortatur quæ etiam timidos fortes facit. Quod ſi virtuti veſtræ Fortuna inuidet, cauete ne inulti animam amittatis, neu capti potiùs ſicuti pecora trucidemini, quàm virorum more pugnantes, cruentam atque luctuoſam victoriam hoſtibus relinquatis. Et verò felix interdum euentus oſtendit, neceſsitatem genitricem eſſe fęcundam prodigiorum licet ſit ſterilitatis filia.

Decimò tū innocentia & æquitas cauſæ propriȩ tum iniquitas cauſæ hoſtium cum atrocitate iniuriæ quam nobis inferunt, mirum quantum animos inflamant audacia. Apud Lucanum lib. 1. Cæſar pro ſe ipſo ad milites:

Hoc cruor Arctois meruit diffuſus in aruis
Vulneraque & mortes hyemeſque ſub Alpibus actę? mox contra Pōpeium:

Ille ſemel raptos numquam dimittet honores?
Quid iam Iura querar totum ſuppreſſa per Orbem?

Denique audaciam non leuiter exci-

excitabit perſuaſio de Fortuna magis propenſa erga audaces quàm erga timidos vel nimiùm cautos: iuxta illud,

Audentes Fortuna iuuat.

PARS QVARTA

De Gaudio & Triſtitia.

SECTIO PRIMA

Obſeruanda circa Gaudium.

GAudium, vt cum Auicenna obſeruat S. Thomas 1. 2. quæſt. 31. art. 3. diſtinguitur à delectatione tanquam ſpecies à genere. Delectatio quippe cōpetit etiã brutis, cum gaudium ſit ſolius hominis proprium. Eſt igitur gaudiũ delectatio cum ratione.

Porrò vt gaudij affectus vehementer excitetur debet repræſentari felicitas quam nobis conſequi modòvidemur quaſi excedens cęteras omnes felicitates quas antea

obtinuerimus. Ita Statius gaudio exiliens præ honore quo ad Domitiani conuiuium accitus fuerat, felicitatem iſtam omnibus alijs anteactæ vitæ præponit lib. 4. Syluarum carm. 2.

Steriles tranſmiſimus annos:
Hæc æui mihi prima dies, hæc limina vitæ.

Secundò, præferri ſolet bonum de quo gaudemus bonis quæ in re ſimili feliciores quipiã ſortiti ſint. Hinc idem Poeta præponit conuiuium illud varijs licet celeberrimis aliorum conuiuijs:

Regia ſidoniæ conuiuia laudat Eliſæ &c.

Tertiò poteſt eiuſmodi felicitas nobis repręſentari quaſi verò vota communia excedens & humana maior. Idem

mędijs videor diſcumbere in aſtris
Cum Ioue & Iliaca porrectum ſumere dextra
Immortale merum.

Quartò, labores ærumnæ doloreſque præteriti comprobantur vt bene

bene exacti, quando gaudens, ſe per illos videt frui præſenti bono quod maximè excedat. Hac arte gaudium publicum ob Neronis Imperium, licet aſſentatoriè, exprimit Lucanus libro primo, bella Ciuilia toleranda oſtendens imò optabilia, vt tanto Principe frui daretur.

Quòd ſi non aliam venturo Fata Neroni
Inuenere viam
Iam nihil o Superi querimur: ſcelera ipſa nefaſque
Hac mercede placent. diros Pharſalia campos
Impleat & Pæni ſaturentur ſanguine Manes.

Quintò, ad augendam lætitiam præſentis boni mirè inſeruit enumeratio & amplificatio malorum præteritorum. Ita Plinius, vt augeat publicam lætitiam ortam ex virtutibus Traiani, ſæpiùs in ſuo Panegyrico exponit ſcelera & tyrannidem Cæſarum qui præceſſerant. *Obuerſabantur foribus horror &*

minæ, & par metus admiſſis & excluſis &c. Hac eadem arte vt exornet illuſtriùs Theodoſium ſuum vtitur Latinus Pacatus. *Spectabas hæc à tuis collibus Roma, & ſeptena arce ſublimis, celſior gaudio ferebaris. Tu quæ experta Cinnanos furores & Marium poſt exilia crudelem & Syllam tua clade felicem &c.*

Sextò, ſimiliter amplificanda eſt multitudo bonorum quæ præſentem felicitatem cumulant. Ita Virgilius Ecloga quarta ſui beatitatem temporis latè amplificat enumerans bonorum cumulum, quo gaudere licebat ex ortu infantis Pollionis & ex Imperio Auguſti.

Septimò, imaginari interdum iuuabit, non modò Mortales ſed etiam Superos nobiſcum collætari. Statius carmine primo libri quarti Syluarum, etiam Deos venire fingit in partem publicę hilaritatis ex octauo ſupra decimum Conſulatu Domitiani.

Ipſe etiam immenſi Reparator maximus Æui

At-

Attollit vultus & vtroque à limine grates
Ianus agit, quem tu vicina pace ligatum
Omnia iuſſiſti componere bella, nouique
In leges iurare Fori.

Octauò, indagari poterunt cauſæ præſentis felicitatis, atque ſi illę eximiæ videantur ac admirabiles, augebunt iucunditatis ſenſum. Claudianus in tertium Conſulatum Honorij cauſas victoriæ illius quæ ſummam lætitiam pepererat refert ad mira ventorum obſequia.

Te propter gelidis aquilo de monte procellis
Obruit adverſas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores & turbine reppulit haſtas.
O nimiùm dilecte Deo cui fundit ab aſtris
Æolus armatas acies, cui militat Æther
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

SECTIO ALTERA

Obſeruanda circa Triſtitiam.

TRiſtitia ſiue dolor vel verſatur circa malum alienum & dicitur commiſeratio, vel circa proprium & dicitur mœror.

Excitatur triſtitia enumeratis & ad viuum expreſſis malis vel animi vel corporis vel fortunę: aut propria illa ſint aut aliorum quos diligimus.

Mala animi excitantia dolorem ſunt præcipue crimina præterita: quorum contemplatione aliquis commouetur, vel in ſe ipſo ea conſideret vel in alijs. Concitatur autem vehemẽter hic affectus amplificando maieſtatẽ Numinis offenſi, beneficia, patientiã &c. exaggerando etiam talium criminum multitudinem grauitatem ac damna ab illis tum orta tum oritura. Hac ratione in Cõfeſsionum libris ſuas deflet noxas Sanctus Augusti

nus

nus, eiuſdemque deuios errores commiſerans inducitur Sancta Monica ipſius Parens.

Loquendo de malis corporis vel fortunę (qualia ſunt morbi, ſupplicia, opum & amicorum iactura, aliaque ſimilia) concitare iſta dolorem ſolent expoſita ab Adiunctis vel perſonarum vel locorum vel temporum vel finis vel modi.

A perſona ſi, maximè, innocens ſit qui in miſeriam incidit, ſi virtutibus varijſq; diſciplinis excultus, ſi prænobilis, ſi dignitatibus præſtans, ſiq; ab hominibus indignis patiatur & multò magis ſi ab ingratis. Cum autem dolor eſt de malo alieno ſiue commiſeratio; augetur affectus coniunctione quam miſer ille nobiſcum habeat, amorum lepore & gratia quæ ad ſe animos ſolet allicere, iuxta illud Virgilianum lib. 5.

Tutatur fauor Euryalum lacrymæque decoræ.

A loco ſi eos habeat miſeriarum ſuarum ſpectatores infelix quos minimè velit, ſi in loco qui eum

de-

dedeceat & cruciatuum acerbitatem exacuat. Hinc apud Senecam in Hercule furente actu 3.

Ipſaque morte peior eſt mortis locus.

A tempore ſi, cum minimè ſuſpicari quis poterat, iniuria ſit illata: vt ſi in ætatis flore aliquis perire cogatur cum ad ſpes magnas pubeſcere incipit: aut ſi tempore maioris in ſpeciem familiaritatis amicum experiatur proditorē. Hinc vel ipſe impijſſimus Rex Herodes *cōtriſtatus eſt* de amputatione capitis S. Ioannis Baptiſtæ tempore conuiualis lætitię: quod facundè expendit S. Ambroſius lib. 3. de Virginibus ſub initium.

A fine, ſi quis patiatur virtutis tuendæ gratia vel pati cogatur ad explendum tantummodo inſanum furorem indigni cuiuſpiam hominis.

A modo ſi patiendi ratio ſit inſueta & nouitate pœnarum infelicitatem augeat.

Exempla hujus affectus paſſim videre eſt in ſupremis Actibus Tra-

gædiarum. ſed planè eximium eſt exemplum Andromachæ mœrorem in ſe & commiſerationem in alijs prouocantis ab his ferè omnibus Adiunctis, dum Aſtyanactem ſuum morti ab Vlyſſe deſtinatum deflet in Troade Senecæ. Actu tertio ſcena ſecunda & tertia.

Etiamſi malum fuerit prçteritum, ſi tamen fuit damnum de ſumma rei: prçſentemque felicitatem excedit, ipſa illius memoria à partium enumeratione prouocabit ad ingentem triſtitiam. Æneas libro ſecundo.

Infandum Regina iubes renouare dolorem,
Troianas vt opes &c.

Vt ex miſera conditione prçſenti magis inflectamus animos ad cõmiſerationem, proderit grauiora vlterius ſecutura damna flebiliter exponere. Sic apud Liuium decade prima lib. 2. Veturia vt ad cõmiſerationem flecteret filium Coriolanum Patriæ minitantem excidium, poſt expoſitas tranſactas ærũ-

nas

nas, futuram breui mortē propriā, & ipſorum Coriolani natorum vel necem vel ſeruitutem, eidē exprobrat. *Ergo ego niſi peperiſſem, Roma non opprimeretur? niſi filium haberem, libera in libera Patria mortua eſſem? Sed ego nihil iam pati nec tibi turpius quam mihi miſerius poſſum, nec vt ſim miſerrima, diu futura ſum. de his videris, quos, ſi perges, aut immatura mors aut longa ſeruitus manet.* Ita etiā apud Statium libro 11. Thebaid. Ioca-ſta mater vt Polynicem filium à bello contra Eteoclem fratrem, & contra Patriam remoueat, iniurias in ſe ipſam grauiores conferendas ſic illi ponit ob oculos:

Me miſeram! vinces, priùs hæc tamen arma neceſſe eſt
Experiare domi. ſtabo ipſa in limine portæ
Auſpicium infelix ſcelerumque immanis imago.
Hæc tibi canities hæc ſunt calcanda nefande
Vbera, perque vterum ſonipes hic matris agendus.

PARS

PARS QVINTA

De Deſiderio & Fuga.

SECTIO PRIMA

Obſeruanda circa Deſiderium.

DEſiderium in hoc differt ab amore quod, vt docet S. Thomas 1. 2. queſt. 25. art. 2. deſiderium eſt de bono non obtento, ſed amor eſt etiam de bono quod poſſidetur. Differt pariter à ſpe quia hæc, vt de illa agentes indicauimus, eſt appetitus excellentis boni cum fiducia illud obtinendi, quam fiduciam non inuoluit deſiderium: multa enim optamus quæ non cõfidimus obtinere. Quia verò tum de amore tum de ſpe multum cupiditas participat, ideo plura ex Præceptis quæ dedimus pro illis affectibus poſſunt facilè accommodari deſiderio.

Cęterũ cupiditas accenditur magis

gis magiſque ſi ex vna parte diffi-cultas nimia ſpem minuit, ex alia verò noſtris meritis rem deſideratã deberi pluribus nominibus oſtendimus. Atque ita, etiamſi Iuno bene noſſet deſtinatum Æneę Italiæ Regnum iamdudum eſſe, quia tamen deſiderabat vt nõ minùs Venus ſibi cederet quàm iuxta Veneris voluntatẽ Turnus Æneę, oſtendit libro decimo meritum Turni,

Cui Pilumnus auus cui Diua Venilia mater. Simulque par eſſe contendit vt ipſa Deorum Regina nihilò minùs potẽter faueat Turno, quàm ſuo Æneę Venus. hinc ironicè.

Tu potes Æneam manibus ſubducere Graium,
Proque viro nebulam & ventos obtendere inanes
Et potes in totidem claſſem conuertere nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra iuuiſſe nefandum eſt.

Proprium etiam eſt deſiderij vehementis vt ſibi quis repente fingat poſſibilem conſecutionem rei

quam

quam exoptat: ſed cognito rurſus rei impoſſibili exitu, magis ac magis torqueatur deſiderans. Ita quarto Æneidos Dido fugientem Æneam proſpectans pre deſiderio vt is à fuga reuocetur, imperat nauibus ſuis vt illum aſſequantur. quod vbi fieri non poſſe animaduertit, ęgritudine conficitur.

proh Iuppiter! ibit
Sic, ait, & noſtris illuſerit aduena Regnis?
Non arma expedient totaque ex vrbe ſequentur
Diripientque rates alij naualibus? Ite
Ferte citi flammas; date vela, impellite remos.
Quid loquor? aut vbi ſum? quæ mentem inſania mutat?
Infelix Dido &c.

Pręterea qui deſiderat, medium eſſe ſe oſtendit inter ſpem & metũ: quandoque prope deſperat, quandoque audacior inſurgit. Tales deſcribit Statius lib. 6. milites ad pugnam vtrinque paratos, victoriam exoptantes.

ſtant

ſtant vno margine clauſi
Spes audaxque metus, vna & fiducia pallens.
Nil fixũ cordi, pugnăt exire pauĕtque.

Non raro accidit, vt qui præualida cupiditate incenditur, ſi vel per ſõnium rem à ſe cupitam poſsidere vel poſſeſſũ iri imaginatus ſit, mox vigilãs nõ modò de vmbratili illa boni imagine exultet ſed ab ipſo ſomnio ſpem aliquã in ſe conetur excitare. Hinc illa apud Ouidium lib. 9. metam.

quid autem?
Somnia pondus habent, an habent & ſomnia pondus?

Pondus certe habuere in animo S. Patricij Epiſcopi populorum ſalutem ardenter deſiderantis, ad excitandam in ſe certiſimam ſpem ſubigendi Chriſto Hiberniæ regiones, ſomnia in quibus & accipere ex Hibernia epiſtolas ſupplices & nec dum natorum Hibernorum voces implorantium opem audire ſibi videbatur. Quod quidem teſtatum habemus in Faſtis Marianis 17. Martij.

SE-

SECTIO ALTERA

Obſeruanda circa Fugam.

EX ea ratione, ex qua deſiderium differt ab amore, fuga differt ab odio. Odium enim abominatur malum etiam præſens, fuga verò auertit animũ à malo quod non eſt pręſens. Fruſtra namque conaremur fugere vel euitare velle aliquod malum pro eo temporis momẽto pro quo illud ſuffcrimus. Fuga igitur auertit animum à malo quod imminet vel facile eſt vt immineat.

Rurſus malum poteſt eſſe vel alienum vel proprium. Alienum eſt e. g. bellum à quo Princeps aliquis abhorrere & fugere poteſt ob mala, quę ex illo in populos irruunt. Ad hoc autem vt ad eiuſmodi fugam animus flectatur vel excitetur, debet aliena miſeria amplificari per partes, & ſeriò perpendi obligatio qua tenemur, ne malum

alijs ſponte inferamus. Medea, apud Senecam Actu quinto, cum, deferueſcente furore, menti ſaniori reſtituebatur, refugiebat animo à meditata cæde innocentium filiorum.

Cor pepulit horror, membra torpeſcunt gelu,
Pectuſque tremuit, ira diſceſſit loco,
Materq; tota, coniuge expulſa, redit.
Ego ne vt meorum Liberum ac prolis meæ
Fundam cruorem? meliùs ah demens furor
Incognitum iſtud facinus ac dirum nefas
A me quoque abſit. Quod ſcelus miſeri luent?

Sed verſatur præcipuè hic affectus circa malum noſtrum voluntarium, ſiue circa aliquod criminis genus vt nobis malum eſt. Atque ad eiuſmodi malum euitãdum excitamur proponendo ad viuum ingrati in Deum animi turpitudinem, oppoſitum rationis dictamen, pœnas ac damna quę in hac ipſa vi-

vita & multò magis in alia exinde conſequentur. Debet etiam exaggerari virtutis contrariæ pulchritudo ac pręterea publicæ infamię nota ſi iniquè factum in vulgus emanans illam ſibi conciliet. His argumentis ad fugam ſceleris, quod ei ſuadebatur, Suſanna ſeſe incendit apud Pulcharellum in Elegia quæ eſt ſecunda libri tertij.

Ferre neces & tela parum eſt: at fama ſepultam
Quæ ſubit & vitam quo canet ore meam?
Scilicet infandos aluiſſe hoc pectus amores?
Me tantum hoc ſceleri ſuppoſuiſſe caput?
Te ne ego caſtã fides violem? tua iura reſoluam?
Et mens ſollicito concidat iſta metu?
Ah prius in caput hoc ruite omnia fulmina Cæli,
Cæde mea Superum Rector inermis eat.

Quòd ſi non prębendo aſſenſum cri-

crimini, immineat ab impijs vltio aliqua iniqua, debēt honeſtatis argumenta viuidis verbis ob oculos poni, & firmandus eſt animus contra quęlibet diſcrimina. Hac ratione ſe ibidem gerit ipſa Suſanna.

At quid agam? ſæui ſubeam mendacia vulgi
Et ferar, heu! ſanctos contemeraſſe lares?
Proh dolor! oblata nihil eſt in morte pericli,
Dedecus hoc abſit, mors mihi munus erit.
At populi furor & lapidum nil talẽ merentem
Obruet & triſtes mittet in ora faces.
Mittat, erit gratum, mortis mihi cauſa, leuamen:
Nobile ſupplicium pro pietate mori.

Magis etiam ad piam fugā quis animatur conſiderando bona quę ex tam nobili & triumphali fugā reſultabunt. Eadem Heroina exinde ſe ipſam conſolatur, & ad vin-

cen-

cendum fugiendo, ſuccendit ardentiùs.

triſtia fata dies tibi læta rependet,
Eſt aliqua oppreſſos quæ leuet hora dies.
Si qua mora eſt, virtus longo fouet obice partum,
Sera aderit grato pignore fæta dies.

Proprium denique eſt refugientis à crimine vel illius vmbram exhorreſcere, & ſeſe quaſi reum credere quia vel inuitus alieni ſceleris occaſio fuit. Ita innocentiſſimus Hyppolitus in Senecæ Tragędia act. 2. ſc. 3. fugiens magis animo quàm corpore ab impuriſſima nouerca exclamat:

Cur dextra, Diuum Rector atque hominum, vacat
Tua? nec triſulca Mundus ardeſcit face?
In me tona, me fige, me velox cremet
Trāſactus ignis. ſum nocēs, merui mori,
Placui nouercæ.

PARS SEXTA

De Ira & Manſuetudine.

SECTIO PRIMA

Obſeruanda circa Iram.

IRam quidam è ſapientibus viris apud Senecam lib 1 de Ira cap. 1. eſſe dixerunt *breuem inſaniam*. Meliùs tamen libro 2. Rhetoric. Ariſtoteles eam definiuit *cupiditatem vltionis cum dolore coniunctam propter manifeſtum aut certè exiſtimatum noſtri contemptum*. Et alibi eamdem definiuerat per effectum, *accenſionem ſanguinis circa cor*. de qua definitione vide S. Thom. 1. 2. quęſt. 18. art 2.

Attamen, præter contemptum, igniculi iracundię ſunt etiam incommodum acceptum, & odium. Et verò ad concitandam vehemētiùs iracundiam nihil magis opportunum quàm priùs concitare odium

um in eum cui volumus vt quis iraſcatur. Tunc autem contemptum ſubijcies vt iræ fomitem & amplificabis ex iniuria ipſi cõtemptui coniuncta.

Primò à grauitate damni quod eſt illatum, excurrendo per ſingulas circunſtantias illud aggrauantes. vt cum à ſuis interfectus eſt Cęſar in Senatu, collega eius ac familiaris Antonius tunicam tot pugionum ictibus laceram ſanguineque reſperſam per forum circũtulit, Populum ad iram contra Coniuratos oratione ſua concitarus. Quanta cum vehementia potuit, hac explicata cruenta tunica, atrocitatem iniurię amplificare! Eadem arte Latona apud Ouidium iram Apollini ſuſcitat in Niobem exaggerando iniuriam ab illa acceptam, lib. 6. metamorphoſeos fabula 4.

An Dea ſim dubitor, perque omnia ſæcula cultis
Arceor, o Nati, niſi vos ſuccurritis, aris.

Secundò iram ob contemptum ac iniuriam auget non mediocriter, dignitas illius cui infertur. Hinc Iuno Æneid. 1. iræ fomitem ducit, dum ait:

Aſt ego quę Diuum incedo Regina Iouiſque
Et ſoror & coniux, vna cum gente tot annos
Bella gero;

ſeque ipſam ſtatim magìs inflammat ex damnis conſequentibus ad inultam tantam iniuriam,

& quiſquam Numen Iunonis adoret
Præterea aut ſupplex aris imponat honorem?

Tertiò vilitas perſonæ contemnentis aut inferentis iniuriam, ſuccendet acriùs ad iracundiam. Hinc indignatio Claudiani in Eutropium:

Omnia ceſſerunt Eunucho Conſule monſtra.
Heu Cœli terræque pudor! trabeata per vrbem.
Oſtentatur anus titulumque effœminat anni.

Quòd

Quòd ſi accedat contemptui aut iniurię ingratitudo beneficijs affecti nec remunerantis ſed lædentis, amariùs ira ſuccreſcet. Hinc Valerij Maximi lib. 5. cap. 3. aduerſùs Cn. Pompilium Ciceronis interfectorem execratio: & Didonis 4. Æneid. vehemens exprobratio

eiectum littore egenum
Accepi & Regni demens in parte locaui &c.
Heu furijs incenſa feror.

Præterea obſtinatus in contemnendo animus eius qui odio habetur, magis ad iram prouocat illum qui fuit affectus iniuria. Hinc eadem Dido contra Æneam beneficiorum immemorem & ad preces inflexum,

Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit? aut miſeratus amantem eſt?

Conſideratio temporis poterit pondus addere: vt ſi ille qui in proſperis amicitiam præferebat, recedat in aduerſis.

Si præſens iniuria conferatur cũ alijs prius acceptis & hęc longè grauior appareat.

Hæc & ſimilia eò magis ad indignationem Auditores excitabũt quò maiori cum vehementia Orator ea exponet: imitando Tullianam illam, *Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra?*&c. & pręferendo ardorem laudatum à Lucano in Panegyrico.

pariter cum grandine nimbos
Denſaque vibrata iaculeris fulmina lingua.

Ipſe verò qui iniuria affectus fuit, pericula quæque ſe contemnere oſtendat præ cupiditate vindictæ. Sic Medea in Actu primo apud Senecam.

Non ibo in hoſtes? manibus excutiam faces:
Cæloque lucem?

Et quidem dum ad vltionem ſeſe adhortatur, moras increpitet & ob id celebritatem nominis affectet. Ita Atreus actu 2. Thyeſtis apud eundem Tragicum:

Age

Age anime, fac, quod nulla poſte-
ritas probet,
Sed nulla taceat &c.

Vehementer iratus, ſibi ipſi indignatur ob omiſſam occaſionem vltionis. Dido Æneid 4.

Non potui abreptum diuellere corpus
& vndis;
Spargere? non ſocios non ipſum abſu-
mere ferro,
Aſcanium patriiſque epulandum ap-
ponere menſis?

Si re ipſa vlciſci non poteſt, in atroces ſaltem imprecationes effūditur. Sic eadem Regina in Æneā:

At bello audacis populi vexatus &
armis:
Finibus extorris, complexu auulſus
Iuli;
Auxilium imploret, videatque indi-
gna ſuorum
Funera &c.

SECTIO ALTERA

Obſeruanda circa Manſuetudinem.

MAnſuetudo, vt Parte prima Capitis primi oſtendimus ex Ariſtotele, aduerſatur iræ planè è contrario. Nam præterquam quòd retrahit animum à vindicta ad quã ira illum impellit, proprietas ipſius eſt impedire ne iracundia ipſa conſurgat (vt præſtitit in Catone, qui, teſte Seneca in libro Quòd in Sapientem non cadit iniuria cap. 14. *cum illi os percuſſum eſſet non excãduit, non vindicauit iniuriam, ne remiſit quidem, ſed factam negauit: maiore animo non agnouit quàm ignouiſſet*) vel eandem iam excitatam cohibere atque comprimere. Quæ quidem vis tanti eſt momenti vt Caſſiodorus ſuper illud Pſalmi 4. *Iraſcimini & nolite peccare*, aſſerere non dubitauerit, *meliorem eſſe qui vincit iram quàm qui capit Ciuitatem*. Subigit quippe affectum, vt obſeruat

idem Seneca lib. 1. de Ira cap. 1. *maximè ex omnibus tetrum ac rabidum.*

Varias rationes excitandi in nobis manſuetudinem ſiue placabilitatem adducit Ariſtoteles libro 2. Rhetoric. cap. 3. quarum tamen pleręquę in eo fundantur vt quis ſibi repræſentet excuſabilẽ nec veræ iniuriæ reum illum qui ad iracundiam ipſum excitauit. Poſito tamen vero contemptu, atque etiamſi reus & inexcuſabilis appareat qui iniuriam intulit, vt nihilominus motus reprimatur percitorum ira, expedit interdum obſeruare & captare tempus. e.g. (inquit Peripateticus) *dum ludo vacant ac riſui, dũ, diem feſtum ac fauſtum celebrant, dum aliquod feliciter peregerunt &c.* Sic S. Io: Gualbertus pepercit occiſori fratris ſui, iracundiam vehementiſſimam cohibens, ex conſideratione ab eodem ipſi obiecta diei Chriſto Domino in Cruce pro nobis paſſo ſacræ.

Deformitas quoque ipſius irę, quę in feram feris omnibus crude-

liorem (vt ibidem oſtendit Seneca) conuertit hominem, probè conſiderata,ſedationem ac lenimentum manſuetudinis proprium poteſt inducere..

Damna prçterea quç ex ipſa ira, ac ex vindicta ſequi ſolent non ſolùm hoſti ſed & ei qui iraſcitur ac vlciſcitur; ſi perpendantur poſſunt animum delinire & furorem extinguere. *Ruinis* quippe, ſubdit Seneca, *ira ſimillima eſt: quæ ſuper id quod oppreſſere, franguntur.* Breuis ex vltione voluptas,diuturnior acerbior & plerumque ſera ac inutilis, vltionis pœnitentia: *Plus mihi* (addit idem Philoſophus lib. 3. de ira cap. 25.) *nocitura eſt ira quàm iniuria. quid ni plus? illius modus certus eſt,iſta quouſque me latura ſit, incertum..*

Si iniuria prouenit à potentiore, læſus vt iram coerceat; obſeruare poterit cum ipſo Seneca lib. Quòd in ſapientem &c. homines potentes *manus eſſe Fortunæ*: Fortunæ autem iniurijs fruſtra eſt iraſci: Illud quoque ſi attēdatur proderit,quod

idem

idem Author affert lib. 2. de ira, cap. 34. *Cum pare contendere anceps eſt. cum ſuperiore furioſum, cum inferiore ſordidum; ergo ira abſtinendum eſt.* & lib. 3. cap. 24. *Puerum ætas excuſet, fœminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas. nunc primùm offendit? cogitemus quamdiu placuerit. ſæpe & aliàs offendit? feramus quod diu tulimus. amicus eſt? fecit quod noluit. inimicus? fecit quod debuit. prudentiori cedamus, ſtultiori remittamus.* Quibus cõſiderationibus addi & illa poteſt, quòd quicũque ille fuerit qui intulit iniuriam, iam ex ſe pęna non leui plectitur. vt enim habes cap. 26. eiuſdem libri, *maxima eſt iniuriæ pæna feciſſe: nec quiſquam grauiùs afficitur, quam qui ad ſupplicium pænitentiæ traditur.*

Neque, vt videre eſt laudato libro, Quòd in ſapientem &c. dicere quis debet, illud quidem tolerabile eſſe, ſed hoc planè intolerabile: contra enim eſt: quia animi magnitudo intra certos fines contineri non debet. Et verò vniuerſim,

valet illud Tullij orat. pro Quinctio: *Iugulare ciuem ne iure quidem quiſquam bonus vult. mauult enim commemorare, ſe cum poſſet perdere pepercisse, quàm cum parcere potuerit perdidiſſe.*

Iuuat etiam ſubinde Politicum illud monitum Taciti lib. 4. Annal. *Quæ ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcaris, agnita videntur.* Hinc (vt vidimus in obſeruandis circa odium) aiebat Atreus, *Perdideram ſcelus niſi ſic doleres.*

Perpendere quoq; poteris cum Iuuenale Satyra 13. vileſcere hominem ob vltionem;

quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi exiguique voluptas
Vltio.

Sed præſertim proderit obſeruare effatum illud B. Laurentij Iuſtiniani de caſto connubio cap. 18. *Optimum vindictæ genus eſt, culpam ignoſcere.* Quod quidem fundari videtur in illo Prouerb. 25 comprobato ab Apoſt. epiſt, ad Rom. 12.

Pru-

Prunas congeres ſuper caput eius. Et Valerius Maximus lib. 4. cap. 2. in hanc eandem ſententiam inquit: *Speciosiùs aliquantò iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia penſantur:* Qua ſuper re affert illuſtre Ciceronis exemplum perorantis pro A. Gabino, licet iſte dum erat Conſul ipſum Tullium proſcripſiſſet.

Quæ quidem ratio validiùs firmabitur ex conſideratione bonorum quæ (pręter gloriam & laudē quam ab omnium ſanæ mentis hominum genere ſibi comparat qui ſponte condonat) ex manſuetudine ad ignoſcendum facili deriuantur ingentia. Vnum pro cunctis ſit exemplum Auguſti, apud Senecam lib. 1. de Clementia cap. 9. digniſſimum planè vt per exſtenſum ibi legatur atque vt illo tamquam gēma vniuerſum hunc de Affectibus Tractatum obſignemus. Breui ego rem colligam. Auguſtus varijs alijs coniurationibus iamdudum impetitus, fortè detexerat nouam

Cin-

Cinnæ conſpirationem, & planè iniquiſſimam vt conflatam ab illo cui, licet inimico in caſtris ſubacto, idem Princeps benignè pepercerat, eidemque ampliſſima contulerat beneficia. Suggerebat ira Auguſto pęnam capitis debitam procul dubio Cinnę & perduelli & ingratiſſimo. Verùm propoſito ſibi ingenti fructu vtilitatis & glorię (nec animus eum fefellit vt mox videbimus) vicit in agitato Cęſaris animo manſuetudo, eumque ſuauiter impulit ad ſpecioſiſſimum illud, quod ex Valerio diximus, vindictę genus, videlicet non ignoſcendi ſolùm ſed & nouis grandioribuſque beneficijs ac honoribus Cinnam mactandi. Proinde vocato ad ſe Reo, quę ad extremum verba fecerit (*diutiùs enim quàm duabus horis locutum eſſe conſtat*) Imperator plus ex hac ſui ipſius victoria quàm ex deuicto Mundo inclytus, & quem ex tam palmari mãſuetudinis demonſtratione fructum retulerit, operę pretium eſt ex ipſo Sęneca audire. *vi-*

tam

tam tibi, inquit, Cinna iterum do, priùs hoſti nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus vtrum meliore fide vitam tibi dederim an tu debeas. Poſt hæc detulit vltro Conſulatum, queſtus quòd non auderet petere. Amiciſſimum fideliſſimumque habuit, hæres ſolus fuit illi, nullis ampliùs inſidijs ab vllo petitus eſt. Hactenus Seneca. Porrò ab hoc Auguſtę verè manſuetudinis exemplo quia deinceps deficere maluerunt quinquaginta circiter Cæſares ad iram & vindictam propenſi, miſerrimè interempti fuere.

His omnibus adductis hactenus argumentis ſi pondus longè maximum addant rationes ex Euangelico Præcepto & ex alia multiplici ſacrarum Literarum authoritate ductę, ab Ira ad Manſuetudinem Chriſtianus animus efficaciſsime pertrahi poterit.

TRACTATVS II

DE ARGVTIIS,

vulgò *CONCEPTIBVS*.

CAPVT PRIMVM

De Argutiarum origine.

ARgutias ſplendidum eſſe oratorij ornamenti genus & floridum noſtri præcipuè ſæculi decus, iure quidem nemo inficietur. Neque enim quia illis aliqui intemperanter vtuntur, eaſque nimiùm congerendo, opprimunt potiùs eloquentiam quàm animent, præiudicium cenſeri debet artis quod eſt artificis vitium. Sicuti malè quis redarguat gemmas tanquam indecoras eò quod auream veſtem temerè ac promiſcuè ingenti illarum numero opifex imperitus oppleuerit.

A Veteribus licet argutię neque igno-

ignoratæ ſint neque neglectæ, tamen non admodum frequenter vſurpatæ fuerunt. Vnde facilè factum eſt, vt nullus, quem ſciam, ex antiquioribus Scriptoribus de illis tractatum inſtituerit & præcepta tradiderit. Neq; verò ignoro aliquos eſſe qui cenſeant, de illis diſſeruiſſe Quintilianum lib. 12. cap. 10. dum: inquit *Cæterùm hoc quod vulgò ſententias vocamus (ueteribus præcipuè Græcis in vſu non fuit, apud Ciceronem inuenio) dum rem contineant & copia non redundent & ad victoriam ſpectent, quis vtile neget? feriunt animum & vno ictu, frequenter impellunt, & breuitate ipſa magis hærent & dictione perſuadent*. Hactenus Quintilianus: qui certè talibus verbis genus exponit diuerſum à ſententiis moralibus, de quibus ipſe idem egerat lib. 8. cap. 5. Dum enim ait, has ſententias non fuiſſe in vſu apud veteres præcipuè Græcos, id de moralibus neq; ait aſſerere; quippe quas non minùs Græcis quàm Latinis, Oratoribus, Hiſtoricis, Poetis, Philoſo-

loſophis, familiares fuiſſe, nemo vel mediocriter in illis verſatus ignorat. Intellexit igitur vel de argutijs vel de aliquibus ſententijs quę valde ſint argutijs affines. Verùm ex eiuſmodi verbis oſtenditur quidem, cognitas à Quintiliano fuiſſe argutias (vel affines illis dicendi modos) nec improbatas ſi prudenter vſurpentur; non tamen euincitur, ex profeſſo de illis ab eodem actum fuiſſe: cum neque earum definitionem proferat, neque vllum producat exemplum ex quo earum naturæ vis intima plenè diſtinctèque comprehendi poſſit; ſed aliquas tantùm indicet proprietates, quas ad rectum argutiarum vſum valde conferre nos deinde oſtendemus.

Aliqui, vt hoc etiam dicendi genus à ſummis ipſis Rhetorum principibus deriuent, de illo egiſſe autumant Ariſtotelem tertio Rhetoricorum vbi diſſerit de vrbana elocutione: & Ciceronem ſecundo de Oratore vbi diſputat de facetijs. Verùm vrbanum aut facetum dicendi

ge-

genus licet ſpeciem aliquam argutiarum comprehendere poſsit, attamen ad longè plures alias rationes extenditur: & forma aliqua argutę dictionis in ampliſſimo iſto genere indicatur potiùs ab his magnis Pręceptoribus qui omnia animo complexi ſunt, quàm data opera & peculiariter tractetur.

Atque adeo nullam video propriè dictam argutiam, dum Cato (à Cicerone relatus) percuſſus ab homine qui arcam ferebat, dicentem postea baiulum, *caue*, facetè rogauit, numquid aliud ferret præter arcam quam in ipſum iam impegerat.

Quanquam inter quamplura exempla locis citatis relata, non negauerim aliqua ab æquiuocatione vel translatione argutè vel acutè duci qualè eſt illud quod ex Anaxandrida indigna vitę huius ęrumnas indignante refert capite 11. Ariſtoteles: *dignum eſt mori antequam ſis dignus mori*; & aliud ex Iſocrate *Principatus principium eſt malorum*. &

qua-

qualia ſunt iſta quæ Tullius libro laudato refert. Africano illi maiori coronam ſibi in conuiuio ad caput accommodanti, cum ea ſæpiùs rumperetur, Publius Licinus Varus, *Nolimirari*, inquit, *ſi non conuenit, caput enim magnum eſt*. Cui dicto in alterius laudem acuto non multò inferiùs ſubdit aliud ex eorum genere quę falſa ſunt & habent ſuſpicionem ridiculi abſconditam ſic inquiens. *In eodem genere eſt quod Catulus dixit cuidam Oratori malo: qui cum in epilogo miſericordiam ſe mouiſſe putaret, poſtquam aſſedit rogauit hunc, videretur ne miſericordiam mouiſſe; Ac magnam quidem inquit; neminem enim puto eſſe tam durum, cui non oratio tua miſeranda viſa ſit.*

Attamen, vt innuebam, neque apud Ariſtotelem neque apud Tullium definitionem vllam argutiarum aut earum certas leges peculiari inſtitutione latas eſt inuenire.

Ratio autem, cur neque in frequenti apud antiquos Rhetores vſu argutiæ fuerint neque Præceptores

res ſortita ſint ea tempora in eiuſmodi artificio ſollicitos, hæc mihi videtur potiſsima. Tria ſunt (iuxta Quintiliani loco ſuperiùs allato diuiſionem) dicendi genera: vnum ſubtile, alterum grande atque robuſtum, tertium medium ea inter duo vel floridum: quorum hæc fermè ratio eſt, vt primum docendi, ſecundum mouendi, tertium leniori quadam amęnitate delectandi præſtare videantur officium. Rurſus orationum propoſitiones verſantur aliæ in iudiciali, aliæ in deliberatiuo, aliæ in exornatiuo. Cũ itaque exornatiuum dicendi genus à Veteribus rariùs vſurparetur, eo quòd toti fermè eſſent vel in iudicando facta vel in deliberando facienda, ad quę duo genera oratio, tum ſubtilis & docens tum robuſta & mouens, quàm maximè eſt opportuna; nihil mirum ſi argutias neglexerint, in panegyricis ſiue in oratione ornata & florida, ſua quaſi in aula, ſe ſe iactantes.

Quòd ſi in ipſis orationibus vtilita-

tatem vnicè ſpectantibus hos delectationis flores quandoque interſeruerunt, eos quidem admodum infrequentes & tales apponere ſategerunt, vt & ipſi rem continerent & ad victoriam de induſtria ſpectarent. Reliquas verò argutias, ſpeciem tantùm aliquam venuſtatis, nullam vtilitatis vim, præferentes, vt importunas reijciendas eſſe quandocunque grauioris momenti negocium tractatur, vnuſquiſque prudens aduertit. & id egregiè docuit Auguſtinus Maſcardus in Arte Hiſtorica tractatu. 5. particula 2. Cum igitur nonniſi parciſſimum argutiarum vſum Antiquitas approbaret, ſummi ipſi Rhetoricæ Inſtitutores ſatis ſuo muneri factum arbitrati ſunt patefeciſſe vtcunque viam huic artificio, dum facetię & vrbanitatis ſedes indicarunt, ex quibus duci iam poteſt argutiarum definitio & artificium, vt infra manifeſtum fiet.

Interim duo obſerua. Primum ex Emmanuele Theſauro in Idea

argu-

argutiarum cap. 2. eos quos vulgò & vocabulo latè accepto conceptus nominamus, à varijs Auctoribus dictos fuiſſe, verborum & ſententiarum lumina, orationis concinnitates ſiue venuſtates aut etiam bellaria, dicendi veneres vel ſyrenulas, vrbanitates, humanitates, dicta commoda ſiue peregrina, facetiſsimos ſales, concluſiunculas vafras ludicras lepidas.

Alterum ex Ioanne de Buſsieres in Floſculis hiſtoriarum ad annum Chri 37. circa eiuſmodi conceptuum originem ſic diſserente. *Valerius maximus & Paterculus nouo ſtylo ad argutas delapſi ſententias, quarum in poſteros laus celeberrima. Dubium tamen in eloquentiæ ornamento an fuco. Sanè rigo acuminum praua, quæ vt Tiberio lacerent nata ſunt.* Hoc tamen intelligendum eſſe, non quòd acumina ante Tiberium nunquam exterint, ſed quòd ad Principis geium vigere tunc ac florere incęerint, liquet ex ijs quę ſuperiùs ɩpoſuimus.

CA-

CAPVT SECVNDVM

Argutiarum ab acuminibus diſcrimen, & earundem definitio.

ARgutiæ definitionem proferre non poſſumus niſi prius in quo ſenſu hoc argutiæ nomen, ſtrictè ac propriè loquendo, ſit accipiendum exponamus. In Ariadne Rheroruni Aloyſij Iuglaris obſeruatione vltima tale quidem nomen latiſsimè accipi videtur dum ſic argutia definitur. *Argutia nihil aliud eſt quam dictum quoddam acutum.* Verùm ſi rem preſsiùs ad Ciceronis mentem examinare velimus, peculiari quodam diſcrimine differre dicenda ſunt acuta dicta à dictis argutis. Tullius enim in libro de optimo genere Oratorum hæc habet. *Sententiarum autem totidem genera ſunt quot diximus eſſe laudum. Sunt enim docendi acutæ, delectandi quaſi argutæ, commouendi graues.* Vbi videre

re eſt argutiam ab acumine diſcerni quòd ab acuto docendi munus ab arguto dicto vlteriùs exigatur vis delectandi.

Vt igitur diſtinctiùs procedamus & argutiæ naturam clariùs intelligere deinde poſsimus, proprietates acuminis priùs perpendendæ ſunt. Et quidem cum abacuendo nomen hoc ducatur, acumen eſſe illud dicendum erit, in quo ingenium ipſam dicendi formulam ita exacuit vt vel rem abditam penetret eiuſque medullam penitùs latentem attingat feliciterque proferat, vel arduum aliquid & penè fidem excedens aſſequatur, vel res inter ſe diſiunctas aut etiam oppoſitas nectat, vel denique coniunctas pari felicitate diſiungat. Atque hinc acuta docent, vt aſſerit Tullius; auditor enim diſcere per illa poteſt quidpiam quod cæteroqui ſibi vix perſuadere potuiſſet & prope paradoxi loco habuiſſet. Vnde etiam fit vt res primo aſpectu aliqua ratione incredibilis, aptè ta-

men expoſita & comprobata ad admirationem excitet animos Auditorum.

Placet iam acuminum exempla diuiſioni allatæ reſpondentia depromere ex Plinij Panegyrico,hoc eſt ex omniū in exornatiuo genere Orationum Idea.Occulta erat cauſa cur Nerua Traianum nullo ſibi ſanguinis aut neceſſitudinis vinculo coniunctum deſtinaſſet Imperij hæredem. Itaque rem hanc abditam felici acumine Orator ingenioſiſſimus peruaſit & plublicæ admirationi expoſuit in hunc modum. *Nulla adoptati cum eo qui adoptabat cognatio, nulla neceſſitudo: niſi quòd vterque optimus, dignuſque alter eligi alter eligere.*

Plinium imitari conatus eſt Barclaius in Pręfatione Argenidis, ingenioſè exponens cauſam Henrici IV Galliarum Regis filio Ludouico XIII adhuc puello ſubrepti. *Pater octenni tibi raptus: quippe hoc modo elucere optimè potuit Numinis cura tuæ Maieſtati propitia, propriæque virtuti ſe-*

ſeges dari, ne omnia Patri deberes. Similiter ſe habet Remondus eleg. 7. Alexiados ediſſerens cur Ioſeph Ægypti Prorex fratres ſuos, à quibus non agnoſcebatur, illico nouerit.

Coram adſtat, loquitur. præſentem agnoſcere fratrem
Vndeni fratres non potuere ſuum.
Tot ne oculos vnus potuit tunc fallere vultus?
Non mirum, extincti crimen amoris erat.
At potuit cur ille ſuos agnoſcere fratres?
Pręuia fax oculis ardor amoris erat.

Cum fuerit occulta pariter cauſa, cur ea Bacchanalium die Iouis, cui vulgus à pinguedine genii indulgentioris dapibus cæteręque intemperantiæ nomen fecit, Chriſtus Dominus deſpondere ſibi voluerit S. Catharinam Senenſem, ſic fortaſſe poſſet in apertum educi:

Dum nimis inſani ferueſcunt crimina Bacchi,

 Cum

Cum noſtra Æternus Virgine nubit Amor.
Vt terræ parcat, ſcelerum ſub mole, labanti
Tam gratum ingrato tempore fœdus init.
Sæuiret quoties ea dum malè feſta recurrunt:
Coniugij at memor eſt, iam furor ergo cadit.

Plinius deinde rem arduam & maximè ſublimem attigit cum ad Traiani virtutem omni dignitate celſiorem & ad Rempublicam tanti Principis egentem demonſtrandas, ita diſſeruit. *Expectatum eſt tempus in quo liqueret, non tam accepiſſe te beneficium quàm dediſſe.* Pari ratione miræ ciuium felicitatis ſub hoc Cęſare profectum extulit inquiens, *Nullam in eo gloriam ponit quòd ſit omnibus maior niſi maximi fuerint quibus maior eſt.*

Tertiò per acumen diſiuncta coniunxit cum rationem reddidit cur ſui Principis animus ab omnibus

bus adulantium & obſequentium officijs ſuopte ingenio alienus,tunc tamen laudes ſuas publica Oratione excipi paſſus fuiſſet. *Vtrumque Cæſar Auguſte moderatè & quòd alibi gratias agi non ſinis & quòd hic ſinis. non enim à te ipſo tibi honor iſte ſed ab agentibus habetur*. Idemque apertiſſimè prệſtitit cum dixit: *Rhenumque & Euphratem admirationis tuæ famæ coniungeres*.

Quartò oppoſita nectere viſus eſt cum poſtquàm dixiſſet, *recuſabas imperare, recuſabas quod bene erat imperaturo; igitur cogendus fuiſti. cogi porrò non poteras niſi periculo Patriæ & mutatione Reipublicæ, obſtinatum enim tibi non ſuſcipere Imperium niſi ſeruandum fuiſſet*: poſtquàm, inquam, plura in eandem ſententiam congeſsiſſet, rem vniuerſam hoc acumine obſignauit. *Nihil magis à te ſubiecti animo factum eſt quàm quòd imperare cæpiſti*. Simili etiam pacto acutum ſe prệſtitit cum de Nerua Traianum Principem optimum adoptante protulit, *Eo ipſo charus om-*

omnibus ac deſiderandus, quòd proſpexerat ne deſideraretur.

Denique cõiuncta diſiunxit cum laudes Traiano non vt Principi ſed vt merenti tribui aſſeruit his verbis: *ad quas voces lacrimis etiam ac multo pudore ſuffunditur, agnoſcit enim ſentitque ſibi non Principi dici.*

Propoſita hac diuiſione facile iam eſt aduertere, ad aliquam ex ijs quæ retulimus acuminum ſpeciem referri poſſe loquendi formam illam quæ à Græcis *oximoron* vocatur, latinè diceretur acutè fatuum, eò quòd idem videtur dici ſimul & negari de eadem re: vnde fit vt primo aſpectu quædam veluti fatuitas ineſſe credatur ei dicto, quod tamen mox expendentibus ingenioſè ac ſapienter prolatum apparet. Eiuſmodi eſt pronunciatum illud quo ſub initium libri tertij de Officjs apud Ciceronem aiebat ille, *nunquam ſe minùs otioſum eſſe quàm cum otioſus, nec minùs ſolum quàm cum ſolus*. Eius quoque generis eſt dictum illud eiuſdem Tullij orat. 5.

in

in Verrem, *Ætnenſis verò ager ſic erat deformis atque horridus, vt in vberrima Siciliæ parte Siciliam quæreremus.* Quem dicendi modum etiam expreſſit apud Virgilium Iuno ſeptimo Æneidos.

Num capti potuere capi? num incenſa cremauit
Troia viros?

Et Ouidius ſeptimo Metamorphoſeos.

His vt quæque pia eſt hortantibus impia prima eſt,
Et ne ſit ſcelerata facit ſcelus.

Addi poſſunt illa Martialis tum lib. 1.

Inque omni nuſquam corpore corpus erat.

tum lib. 3.

Sirenes hilarem nauigantium pœnam
Blandaſque mortes gaudiumque crudele.

Huc denique referuntur *inſepulta ſepultura* apud Tullium Philippica prima, & apud alios *gratia ingrata, dona non dona, inopes opes, amicus hoſtis, benigna crudelitas, felix infortunium*, & ſimilia. In quibus ea fermè vis eſt artificij, vt licet vocibus exprimantur oppoſita hinc inde ex æquo coeuntia ſignificantibus, ſi tamen ſenſum perpendas, vnum ex oppoſitis re ipſa exiſtit, alterum quadam tantummodò ſpecie videtur exiſtere. Vel certè cum in diuerſa ratione ſint accipienda, voce tenus oppoſita ſunt, & videntur potiùs opponi quàm verè opponantur.

Iam verò argutia, ſi ethymologiam ſpectemus, dicta ita eſt à potiori & nobiliori ſui parte; ex eo nimirum quòd aliquæ argutiarum vim quandam argumentationi ſimilem contineant; itaut ex re antea propoſita aliquid aliud ingenioſa quapiam ratione eliciatur quod admirationem & delectationem repente pariat. Talis eſt clauſula

Mar-

Martialis lib. 1. epigrammate de leone famelico parcente lepori.

Vnde poteſt auidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen eſſe tuus dicitur, ergo poteſt.

Simile etiam eſt diſticum Bernardi Bauhuſij lib. 5. Epigramm. de Flacco concionatore ineptiſſimo.

Quis neget orando populum te Flacce mouere,
Dicentem quando concio tota fugit?

Per vim quoque argumentoſam ex inexpectato infertur morale documentum in diſticho quod olim apponendum curaui celebri fonti Spoletano non ſine iucundo ſtrepitu in Collegij noſtri viridarium per gradus decurrenti.

Siccine labentum murmur delectat aquarum?
Quod fluit ergo placet, quod placet ergo fluit.

Verùm argutiæ nomen licet à prænobili argumentandi ſpecie deſumptum ſit, de communi tamen Scriptorum conſenſu ad longè plures ingenioſorum conceptuum rationes extenditur. Atq; adeo non tam nomen quàm rem ipſam attendendo, ad argutiæ definitionem accedamus.

Et primò quidem meo iudicio argutia eſſe non poteſt ſine acumine, hoc eſt ſine aliqua felici coniunctione duarum ſaltem rerum aut diſiunctarum aut etiam contrariarum. Verùm pręter acuminis vim requiritur ad argutiã aliquid quod delectationem pariat: gignitur autem delectatio quotieſcunque acumen ſiue ingenioſa coniunctio rerum ſibi inuicem pugnantium aut diuerſarum accidit pręter audientis aut legentis expectationem. Quò enim magis res aliqua erat ignota aut etiam vulgari iudicio oppoſita, eò magis, ſi deinde percipiatur, mentis admirationem excitat; procedens autem admiratio ex noua

& in-

& ingenioſa quapiam rei notitia, fons eſt ipſi intellectui nobilioris ſiue gratioris delectationis. Atque hanc delectandi efficaciam in argutia requiri confirmatur non modò authoritate Ciceronis loco citato aſſerentis, ſententias aliquas in eo verſari vt delectent argutè, ſed etiam Quintiliani qui ſententias argutas nomine *voluptatū* appellauit.

Sit igitur in argutia ſimilitudo quædam diſſimilis aut diſcrepantia conſentiens aut diſcors veluti concordia partium ſimul conſpirantium: vel certè ſit in illa diuerſum aliquid & ſupra communem naturæ vel artis morem ab alia quapiam re ex inopinato deductum. Sic repugnare videtur communi decoris militaris conceptui vt in eadem ſuorum ſtrage in qua vni Ducum mori decorum eſt ſit æquè decorum alteri fugere. Et tamen id argutiſſima ratione Lucius Florus re ipſa accidiſſe oſtendit in clade Cannenſi, his verbis. *Ducum effugit alter, alter occiſus eſt: dubium vter maiore*

re animo. Paulum puduit, Varro non deſperauit. Pariter dum in Troadis actu primo dixit Seneca,

Caret ſepulchro Priamus & flamma indiget
Ardente Troia:

eiuſmodi argutia diſcordiam præſefert. Ferè enim impoſſibile videtur vt in vaſtiſſimo ſuæ Vrbis incendio Rex eodem correptus & re ipſa obrutus, flamma indigeat. At en mira concordia præter opinionem: quia vrbs crematur quidem & cremat Regem, iſte tamen caret rogo ad funus rite compoſito. Vbi aduerte artificium de quo ſuperiùs dicebamus: alteram nimirum oppoſitionis partem re ipſa exiſtere, alteram ſpecie tantùm, adeoque non eſſe veram oppoſitionem. Non enim eadem, re ipſa, eſt flamma Troiæ ardentis & illa quæ certo funeris ritu ſuccendi ſolebat qua Priamus indigere dicitur; niſi quatenus ſub ampliſſimo flammæ genere hæc quoque poteſt

in-

intelligi comprehenſa, & ideo verum non eſt adeſſe ſimul flammas & non adeſſe; quia, ſi cum Logicis loquamur, *variatur ſuppoſitio*. Species tamen illa oppoſitionis opportunè expoſita ſatis ſuperque eſt Arti Rhetorices, quæ coloribus Eloquentiæ vel Poeſeos vti idcirco dicitur quia ſæpe ſæpius ad ſpeciem dicit.

His præmiſſis partim ex fine quem argutis ſententijs Cicero aſſignat, partim ex vnanimi conſenſione eorum qui de argutis dictis ſapienter iudicant, hæc definitio, vel deſcriptio apta & perſpicua proferri poteſt. *Argutia eſt ſententia ſiue dictum in quo res aliquæ contrariæ, vel variè diſiunctæ, præter expectationem, concinnè & breuiter connectuntur.* Definitionis huius partes ſatis explanatæ fuere ſuperiùs: breuitatem præterea cur dicta arguta requirant, dicam cum ſtylum argutiæ idoneum quarto & vltimo capite deſignabo.

Interim promptum erit iudicare, ar-

argutiam non in ſimilitudine aut comparatione conſiſtere , vt aliqui cenſuerunt . Similitudinem namque aliquam poſtulat quidem argutia, non tamen apertam & nota comparationis ob oculos poſitam , ſed obſcuriori quodam metaphoricę dictionis quaſi tegumento inuolutam. Quapropter hoc dictum Senecæ lib. 1. de Clementia cap. 8. *vt fulmina paucorum periculo cadunt , omnium metu ; ſic animaduerſiones magnarum Poteſtatum terrent latiùs quàm nocent* : hoc inquam effatum ſimilitudinem quidem pulchram continet , nulla tamen exornatur argutia .

Neque hinc ſequitur , in ſimplici translatione licet illuſtri vim argutiæ poſitam eſſe, vt arbitrati ſunt alij. Quis enim neget eleganti tranſlatione fluminis impetum expreſſum à Virgilio fuiſſe dum cecinit , *Pontem indignatus Araxes* ? re vera tamen eiuſmodi dictum argutum non eſt , quia coniunctionem illam inexpectatam de qua diximus non

com-

complectitur. Cum enim ipſa natura fluminis exundanti aquarum mole turgentis quandam cum indignatione ſimilitudinem præferat & ob oculos ponat, eiuſmodi metaphora non accidit auditori noua; adeoque expers eſt illius admirationis, quam ex nouitate oriri & præcipuam menti delectationis cauſam eſſe, paulò ante oſtendimus.

Denique in argutiæ naturam ſiue propriam rationem minimè collimarunt quicunque vel in ſententijs, vel in præcipuis verborum aut ſententiarum figuris, arguti ſermonis vim collocauerunt. Ex allata enim Ciceronis diuiſione manifeſtum eſt, argutias ſpeciem quandam eſſe ſententiarum, non ſententias ipſas genericè acceptas. Quis enim dixerit ſententiam hanc Horatij in Arte Poetica percelebrem.

Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.

argutam eſſe? Figuris verò licet ſæ-

pe argutiæ immiſceantur, quia tamen ſępiſſime inuicem ſeparantur, eadem vtrarumque natura dici non poteſt.

Ex dictis colligere facilè poſſumus diſcrimen inter argutiam & acumen. Nempe acumen doctrinam potiùs exhibet; vnde Tullius loco ſæpius laudato ſententias docendi dixit eſſe acutas: argutia verò delectationem vlteriùs affert. Acumen ſine coniunctione rerum diſſidentium, argutia nunquam ſine hoc iucundo nexu eſſe conſueuit. Illud non habet neceſſariò eſſe ex inopinato vt habet argutia. Denique argutia minùs latè patet quàm acumen, & omnis argutia eſt acuta, non tamen omne acumen eſt argutum.

Infer ſecundò, cum ex Philoſophorum axiomate *contrariorum ſit eadem diſciplina*, ſicuti argutia tunc reſultat cùm res aliquæ contrariæ vel variè diſiunctæ præter expectationem concinnè & breuiter connectuntur, itidem poſſe argutiam

exi-

exiſtere cum res aliquæ ſuapte na-
tura aut aliena diſpoſitione vel eæ-
dem vel coniunctæ, præter expe-
ctationem concinnè ac breuiter di-
ſiunguntur. Cuius rei exemplum
ex Plinio attulimus in quinta acu-
minum ſpecie; eandemque diſiun-
gendi rationem, vbi varia argutia-
rum genera protulerimus, alijs
etiam exemplis illuſtrabimus.

CAPVT TERTIVM.

Varium Argutiarum artificium.

PRoponam primo loco multi-
plex earum argutiarum genus
quæ in connexione oppoſitorum
conſiſtunt; ad extremum verò ali-
qua adducam exempla earum quæ
ex diuiſione rerum ſe ipſis coniun-
ctarum deriuantur.

Primò igitur argutia conſtare
poterit verbis proprijs & ſimplici
expoſitione vel alicuius facti quod
in ſe contrarietatem aliquam con
tineat, vel cuiuſpiam veritatis ex

co-

eorum contrariorum nexu admirabilis. Verbis proprijs argutè exponitur à Valerio Maximo lib. 5. cap. 4. factum illud cum Atys, Regis Creti filius, eò vſque temporis mutus, in Patris defenſionem linguæ vinculum repente diſſoluit. *Itaqui ad id tempus mutus ſibi vixerat, ſaluti parentis vocalis factus eſt*. Huc quoque ſpectat illud Martialis lib. 1. *Leonis & ſecurior eſt in ore præda*. Simili argutiarum genere clementiam Principis in ſubactos hoſtes expoſuit Claudianus panegyri in quartum Conſulatum Honorij.

Profuit hoc vincente capi, multoſque ſubactos
Aſpera laturæ commendauere catenæ.

Veritatis verò admirabilis ſimplicem expoſitionem habemus apud Senecam in Oedipo act. 3.

Qui ſceptra ſæuus imperio regit, Timet timentes.

Eadem ratione argutum eſt dictum illud

illud in laudem Diui Petri Apoſtoli, qui ex vmbra ſua, hoc eſt ex ipſo nihilo, vitam ad ſalutem corporum eruebat. *Diſce nihil non inſeruire Petri ſanctimoniæ cui vel ipſum nihil inſeruit.*

Secundò argutiæ translationem aliquam illuſtrem continent, vt illa L. Flori lib. 1. cap. 18. *Omnium vulnera in pectore, quidam hoſtibus ſuis immortui, omnium in manibus enſes, & relictæ in vultibus minæ, & in ipſa morte ira viuebat.* Similis eſt illa apud Valerium Maximum lib. 4. cap. 7. vbi inuidorum proprietatem ſic exprimit. *Diuites ſunt aliorum iactu ris, locupletes calamitatibus, immortales funeribus.* Sed de argutia cuius præcipua vis in ipſa translatione ſita ſit, loquemur inferiùs.

Argutiarum aliæ argumentationem quandam continent vt ſuperiùs oſtendimus, aliæ argumenti ſpeciem nullam præbent, aliæ ſunt ſeriæ vt illæ quæ modò relatæ fuerunt, aliæ facetæ cuius generis multæ ſunt apud Ciceronem lib. 2. de

Ora-

Oratore. Aliæ ſinceræ ſunt ac minimè fallaces, aliæ captioſæ atque ſophiſticæ, quæ plerumque in verbis quibuſdam ambiguis, & vt Philoſophi loquuntur, *æquiuocis*, ſitæ ſunt. Tale eſt dictum illud apud Velleium Paterculum à militibus iactatum in Plancum & Lepidum triumphantes de Gallis poſtquam vterque ſuum germanum fratrem proſcripſerat:

De Germanis non de Gallis
Duo triumphant Conſules.

Simile eſt illud Martialis lib. 1. epigr. 80.

Ne quid agas deſit, agas animam.

Et aliud dictum, ſtatuæ ſalis in quam eſt verſa vxor Loth quaſi epigraphe ſubſcribendum, *ſerò ſapit*. Ambiguitas arguta eſt in verbo *ſapit*, quod videlicet refertur & ad acrimoniam ſalis & ad ſapientiam qua opportuno tempore vti mu-

mulier illa neſciuit : quemadmodum in proximè ſuperioribus exemplis ſita erat in vocibus *agas & Germanis* quæ vt liquet non vnum ſenſum habent. Pariter Tullius diuinatione in Verrem, *ex homine factus eſt verres* h. e. ſus.

Atque huc reuocari poſſunt argutiæ quas nonnulli vocant *phantaſticas*, hoc eſt ductas à phantaſia, ſiue à facultate concipiendi ſiue imaginandi res aliquas peculiaribus quibuſdam formis; cum re ipſa nihil habeant ſolidi ſeu veri. Talis eſt illa Martialis lib. 4. vbi poſtquàm dixit,

Aſpice quàm denſum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultum Cæſaris inque ſinus:

concludit paulò poſt:

Qui ſiccis laſciuit aquis & ab æthere ludit
Suſpicor has pueri Cæſaris eſſe niues.

& il-

& illa Franciſci Remondi eleg. 1. Alexiados

Ipſa ſuas etiam patiuntur ſydera flammas,
Ipſum etiam credo nouit amare mare.

Ab Annominatione etiam duci poſſunt argutiæ, vt ſi quis dicat, homines impudicos *non à cælo ſed à cœno ſpiritum ducere*. Atque hinc eſt illa Tullij Philippica 3. *En cur Magiſter eius ex oratore arator factus ſit*. Annominatio autem, Auctore Herenniano definiente, eſt cum ad idem verbum acceditur commutatione vnius literæ vel plurium literarum, aut ad res diſſimiles ſimilia verba accommodantur. Hanc verò Annominationem confici multis modis, docet idem Auctor lib. 4. vt attenuatione aut compreſſione ſimilis alicuius literæ. e. g. *hic qui ſe magnificè iactat atque oſtentat, venijt à te antequàm Romam venit:* vel è contrario, *Hic quos homines alea vincit, eos ferrò ſtatim vincit*. Productio-

ctione eiuſdem literæ, *hunc auium dulcedo duxit ad auium*. Addendis literis hoc pacto, *hic ſibi poſſet temperare niſi amori mallet obtemperare*. Demendo literas, *ſi lenones tanquam leones vitaſſet, vitæ ſe tradidiſſet*. Huc refertur lepida illa concluſio Martialis lib. 6.

Cinnam Cinname te iubes vocari.
Non eſt hic, rogo, Cinna barbariſmus?
Tu ſi Furius ante dictus eſſes
Fur iſta ratione dicereris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Literis quoque transferendis: *nolo eſſe laudator ne videar adulator*. Denique commutando, *vt deligere oportet quem velis diligere*: & vt Seneca cap. 14. libri- Quòd in ſapientem non cadit iniuria, (occaſione quam retulimus in Tractatu de Affectibus ſectione de Manſuetudine) *Cato*, inquit, *maiore animo non agnouit quàm ignouiſſet*. Ita etiam Cicero Actione 6. in Verrem: *Verres ita natus eſt ita educatus ita factus ani-*

animo & corpore , vt multò appoſitior ad deferenda quàm ad auferenda ſigna eſſe videatur . Vt igitur in his illuſtrium Auctorum exemplis videre eſt , tam multiplici annominationis modo variari poteſt argutia ſi tamen quæcumque ſit ea variatio nexum illum oppoſitorum præſeferat , quem ad argutiam ipſam requiri oſtendimus . In hoc tamen genere [vt bene monemur in Ariadne Rhetorum] cauendum eſt ne nimii ſimus : ne videlicet in vitium ſtyli puerilis proprium incidamus .

Inſigne argutiarum genus eſt cum ratio affertur ob quã id quod vitio vertendum videbatur , laudi tribuitur ; vel id quod ſpeciem infelicitatis pręferebat, felicitati aſcribitur. Primi exemplum habes apud Senecam in Hercule furente act. 2. ſcen. 3. vbi Lycus Regnum non hæreditario iure obtinuiſſe ſed ſuis ſibi viribus comparaſſe [quod exprobrandum violentiæ Tyrannicæ videbatur] in ſtrenuitatis ſuæ vertit encomium .

Non

Non vetera patriæ iura poſſideo domus
Ignauus hæres.

Pari argumento Titus ad milites vtitur apud Hegeſippum de excidio vrbis Hieroſolymitanæ. *Stabat hoſtibus cæſis adoleſcens Torquati filius amictus adoreis triumphalibus ſub carnifice mortis ſecurus, quoniam beatiſſimum putabat victoria mori. Quid enim illuſtrius quàm vitam triumpho claudere, nec ad incerta rerum ſeruari poſt certam victoriam? O expetendum prudentibus crimen victoriæ. Vtinam & nobis hoc obijciatur quòd vicerimus.* Secundi exemplum eſt apud Florum lib. 1. cap. 13. vbi agit de incendio vrbis Romanæ tunc adhuc exiguæ rudioriſque molis. *Incendium illud quid aliud egit niſi vt deſtinata hominum & Deorum domicilio ciuitas non deleta non obruta ſed expiata potiùs & luſtrata videatur? Paſtorum caſas ignis ille & flamma paupertatem Romuli abſcondit.* Pariter à Plinio in panegyrico, vbi Ægypti improuiſa ſub

Traiano ſterilitas ex eo orta quòd piger Nilus cunctanter alueo ſeſe ac languidè extulerat, talis inquam ſterilitas cæteroqui maximæ infelicitatis argumentum, ad eiuſdem Principis eximiam felicitatem reducitur his verbis. *Crediderim per hunc Ægypti ſtatum tuas Fortunam vires experiri tuamque vigilantiam expectare voluiſſe. Nam cum omnia vbiq; ſecunda merearis, nonne manifeſtum eſt, ſi quid aduerſi cadat, tuis laudibus tuiſque virtutibus materiem campumque proſterni, cum ſecunda felices, aduerſa magnos probent?* & paulò poſt. *Ita beneficio tuo obſequens Nilus, Ægypto quidem ſæpe ſed gloriæ noſtræ nunquam largior fluxit.*

Rurſus illuſtris eſt argutia, cum ex oppoſito axiomatis illius notiſſimi *Nemo dat quod non habet*, alicui cauſæ tribuimus effectum quem de ſe producere non poſſe videtur, imò cui alios effectus contrarios ſolet eiuſmodi cauſa producere. e. g. quid magis proprium alicuius pauperis quàm non poſſe diuitias

alijs

alijs ſuppeditare? & tamen argutè nihilò minùs quàm verè de Chriſto Domino aſſeruit S. Ambroſius lib. primo de Officijs cap. 30. *Chriſtus pauper factus eſt cum diues eſſet vt nos ſua inopia ditaret.*

Affinis huic ratio argutiæ eſt cum ad aliquod gerendum munus vel opus, modus affertur à communibus & paſſim congruentibus modis alienus. Hinc eſt præclara illa argutia Plinij lib. 2. Naturalis hiſtoriæ de modo quo Fortunæ adoratio præſtatur: *Cum conuicijs colitur.*

Affingimus etiam argutè alicui rei proprietatem aliquam cuius ſuapte natura incapax eſt. Atque ita licet punctum definiatur à Mathematicis, *cuius nulla eſt pars* adeoque quod incapax eſt diuiſionis, nihilo tamen minùs de terra, quæ Cælo comparata punctum videtur, Seneca argutiſſimè protulit in Pręfatione lib. 1. natur. quæſtionum, *Hoc eſt punctum quod inter tot gentes ferro ac igne diuiditur.*

Si inter duo ſiat comparatio & illud prçferatur in eo genere in quo poſthabendum ex communi vſu fuiſſet, nobilis reſultare poteſt argutia. Sic apud Hegeſippum de excidio vrbis Hieroſolymitanæ aliqui contendentes ſuadere Ioſepho vt ſe potiùs occideret quàm in Romanorum licet benignè parcentium manus venire pateretur, aiebant: *Atrociora ſunt dona eorum quàm vulnera; illa enim captiuitatem minantur, hæc libertatem ſeruant.*

Enitet præterea argutia cum idem aſſeritur eſſe continens ſimul & contentum [vt ſi quis dixerit de Chriſto in Virginis vtero, *hìc mira planè ratione maius eſt continente contentum*) vel cauſa ſimul & effectus; aut cum quædam, quæ plurium diuerſorum ex communi vſu ſunt propria, vni eidemque accommodantur. Ex hac ratione de S. Auguſtino Confeſſionum librum ſcribente, elegantiſſimos hos verſus protulit Franciſcus Briuius.

Sic

Sic Auguſtinus primæ mala gaudia vitæ
Erranteſque dies iucundaque damna iuuentæ
Occultata diu & damnata ſilentibus vmbris,
Facundis efferre notis calamoque loquaci
Perque characteres latè vulgare ſonantes
Inſtituit primus: reus ipſe, & teſtis, & idem
Iudex, ac vindex, ſcelerum & ſibi pœna ſuorum.

Lepidum argutiarum genus eſt illud quod prorſus ab inexpectato ſic ducitur, vt, cum quempiam in aliquo genere celebrare quis inceperit, cum re omnino diuerſa ſermonem abſoluat, & illum ipſum quem admiraturus videbatur, repente irrideat. Sic Afer Orator de quodam alio qui ad dicendum accedebat non tam orationis quàm corporis ornatu inſtructus, ſententiam hanc protulit: *Homo eſt pla-*

nè in agendis cauſis bene veſtitus.

Accidit quoque iucunda ratio illa argutiæ cum negare nos oſtendimus primo aſpectu aliquid re ipſa manifeſtum & certiſſimum: ſed ad extremum res quæ negata videbatur, diuerſo quodam modo magis confirmata apparet. Huius generis eſt diſtichum Martialis lib. 2. Epigr. 3.

Sexte nihil debes, nil debes Sexte, fatemur;
Debet enim ſi quis ſoluere Sexte poteſt.

Itemque epigramma Bauhuſij lib. 3. de morte Deiparæ Virginis.

Non adijt Cælum moriens Naſareia Virgo
(O ſcelus, exclamas, verbaque digna Cruce)
Non adijt certè: cauſa eſt, nam venit ad illam
Cælum & ſtellantis gloria tota domus.

Quo-

Quoties oſtenditur alicui aliquid obijcienti, rationem ab ipſo allatam æquè contra ipſum militare & retorquetur argumentum: vel cum ex vna propoſitione infertur altera contraria; palmaris exoriri poteſt argutia. Talis eſt illa Platonis laudati ab Ariſtotele in Phyſicis ad quendam qui nominabat *ſapientiſſimum* tempus, eò quod per ipſum omnia ediſcantur. *Pari igitur*, inquit, *ratione ſapientiæ omnis expers tempus vocari poteſt eò quod annorum decurſu omnia obliuione deleantur*. Similis ingenij ſunt apud Martialem tam lib. 3. de filio patrimonium abſumente, epigr. 10.

Idem te moriens hæredem ex aſſe reliquit:
Exhæredauit te, Philomuſe, pater.

quàm lib. 8.

Egi, Sexte, tuam, pactus duo millia, cauſam:
Miſiſti nummos quòd mihi mille, quid eſt?

Narraſti nihil, inquit, & à te prodita cauſa eſt;
Tantò plus debes, Sexte, quòd erubui.

Oſtenditur itidem æquè argutè alicui, ratione ab ipſo allata confirmari aliquid quod nec ipſe aduerſarius velit admittere, ſiue talem rationem nimis probare. Eiuſdem Martialis eſt ad hanc rem epigramma ad Ruſticum eodem lib. 8.

Eſſe tibi videor ſæuus nimiumque guloſus
Qui propter cænam, Ruſtice, cędo cocum.
Si leuis iſta tibi flagrorum cauſa videtur,
Ex qua vis cauſa vapulet ergo cocus?

Atque hæ duæ proximè adductæ rationes habent præcipuè vim illam argumentoſam, de qua diximus dum differuimus de argutiæ etymologia.

Poteſt ad amplificandum alicuius laudes vel vitia in peculiari quodam genere aſſumi per argutam gradationem tanquam grauiſſimũ in illo genere id ipſum quod ſua natura potiùs leue æſtimandum fuiſſet. Talis eſt illa gradatio Senecæ ad amplificandam ingenitam horrendamque Tyranni feritatem lib. 3. de Ira cap. 19. *Torſerat per omnia quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, talaribus, equleo, igne, vultu ſuo.*

Aliquando argutè ludimus variando acceptionem alicuius vocis, & idem nomen primò e.g. ponitur pro re ſignificata deinde prout eſt nomen Grammaticale, atque, vt cum Logicis loquar, eadem vox modò accipitur *materialiter*, modò *formaliter*. Hinc eſt illud in quendam Proſodiæ ſiue dimenſionis ſyllabarum imperitum, ac proinde corripiẽtem ſyllabam penultimam in nomine *Euphrates*.

Venit ad Euphratem ſubitòque exterritus hæſit:

Vt citò tranſiret corripuit fluuium.

Cum narratur factum aliquod præclarum, ex improuiſo ſubiungi poteſt obſeruatio aliqua ingenioſa, quæ rem totam magis admirabilem reddat. Ita Virgilius primo Æneidos poſtquam Tyriorum procerum ſub Didone Regina exportantium auari Pigmalionis opes, generoſitatem expoſuit, ſubdit prænobilem obſeruationem, *dux femina facti*. Et adhuc acutiùs lib. 5. exponens ſtrenuam animi magnitudinem nonnullorum in nauali certamine, *poſſunt quia poſſe videntur*.

Hyperbole, ſi veriſimile aliquid contineat & ſimul oppoſita complectatur, arguta euadit. Statius primo Thebaidos de cæco Principe ſimulque curis acerbiſſimis preſſo cecinit, *longaque animam ſub morte trahebat*. Similiter, ſi hyperbole contineat aliquid quod ſummum quidem ſit in eo genere, ſed tamen non ita facilè Auditoribus occurriſſet. Tales ſunt modi illi dicendi Æneidos primo - *geminique minantur*

in

in Cælum ſcopuli, lib. 3. *nox humida Cælum abſtulit*, lib. 5. *tonitruque tremiſcunt ardua terrarum*.

Poteſt inſuper argutia fundari in ſententia aliqua Theologica aut Philoſophica, vel à Medicis Iuriſ-ueperitis deſumpta. Atque ita iuxta ſententiam eorum Theologorum qui aſſerunt, peccatum nihil aliud eſſe quàm *priuationem* virtutis merumque nihil (vnde legunt cap. 1. Ioann. *Et ſine ipſo factum eſt, nihil quod factum eſt*) quiſpiam dixit, *O nihilum quod vim habet omnia inficiendi*.

A Philoſophis petitum, illud Bauhuſij lib. 5. redarguentibus *petitionem principij*:

Verba pius populo vix ter bene fecerat Abdon,
Eua illi ac Adam bis ter in ore fuit:
A vetito ſemper proceſſit concio pomo.
In pomo ſemper concio clauſa fuit.
In Logicam peccas Sophiæ clariſſime Doctor;

 Hoc

Hoc eſt, hoc verè eſt Principium petere.

Ab Aſtronomia, Eclypſim Lunæ conſiderante in *Capite* & in *Cauda Draconis*, ductum illud de Beatiſſima Virgine ſine originis labe Concepta, & omnis planè peccati ſemper experte.

Luminis hæc nullum defectum Luna ſubiuit:
Haud Caput haud illi cauda Draconis obeſt.

Itidem ab eo Iuriſperitorum axiomate, *Nemo præſumitur viuere de vento*, Daniel Bartolus in Paupertate contenta materiem deſumit in ambitioſos argutè ſeſe inuehendi, ventoſa quaſi ſpe depaſtos.

Pariter fundatur ſæpe argutia in varijs teſtimonijs Diuinis aut Humanis. Diuina ſunt Sacræ Literæ, & ad eadem reducuntur effata Sanctorum Patrum, auctoritas Conciliorum & Summorum

Pontificum, diuerſa prodigia, ſomnia cęlitus immiſſa, & alia huiuſmodi. Ab hoc fonte, nempe à Sacrarum Literarum monumentis ducitur argutia illa Io:Baptiſtę Ferrarij orat. 6. in Coronam Spineam Chriſto impoſitam. *Quanquam mirandum non eſt, quoniam roſas antequàm marceſcerent in ſuam coronam luxus pręcerpſit, ſolas coronandæ ſpinas innocentiæ ſuperfuiſſe.* Et illa eiuſdem Auctoris orat. 25. de B. Stanislao, *vt febrem contraxerit, leuem quidem eam Amanti quia calor amoris erat, ſed lethalem quia fortis vt mors eſt amor.* Prima, vt videtis, ſumpta eſt ex cap. 2. Sapientiæ vbi ſeſe mutuò inuitant impij illis verbis, *Coronemus nos roſis antequàm marceſcant*: ſecunda verò ab illo Canticorum cap. 8. *Fortis eſt vt mors dilectio*. E ſacris quoque literis hominem folio fumo pulueriq; comparantibus prodit illud de ipſis hominibus quos vi quadam prope ſympathica allicit Tabachus (quem eadem planè triplici ſpecie ſumere, vſus inualuit)

Tabacho vſque adeo traheris? tu ſcilicet ipſe es
Et folium & fumus: tu quoque puluis eris.

Porrò humanum teſtimonium poſitum eſt in Virorum auctoritate vel doctrina præcellentium ſententijs aut dictis: in adagijs atque prouerbijs, in legibus ſeu Decretis Principum vel Rerumpublicarum: in iuſſis Regum aliorumue Dominantium: in paſſim receptis moribus ſymbolisque, alijſque ſimilibus. Hinc eſt quod Lyſias Græcus Orator dixit in laudatione funebri Græcorum qui contra Perſas fortiter pugnando occubuerant, *Æquum eſt vt in eorum ſepulchro tota ſibi Græcia capillum tondeat, quoniam vnà cum eorum virtute Græciæ quoque libertas tumulata eſt.* Oritur argutia ex duplici more Græcorum, apud quos & tondebantur in funere capilli, & ſerui raſo capite incedebant. A Paleſtritarum conſuetudine deſumitur illa Ciceronis Actione 4. in Verrem:

rem: *Ita Paleſtritas defendebat, vt ab illis ipſe vnctior diſcederet*. Vnctior hoc eſt ditior: Paleſtritis verò ſeſe vngere in vſu erat. Hinc itidem eſt argutia illa Vincentij Guiniſij Allocutione 13. in manum militis qui Chriſto colaphum impegit. *Adeo ne attactu modeſtiæ, ſub oculis verecundiæ, in ipſa pudoris ſede fit impudens manus, vt quæ ſymbolum fidelitatis eſt, in ore vel potiùs in ara Fidei, repente fiat nota perfidię?* Iàm verò ex celebri adagio *Æthiopem lauas*, ducitur illa de S. Matthęo qui ſacro Baptiſmate purgauit Æthiopiam: *Primus purioribus vndis non fruſtra Æthiopes lauit*.

Argumentum à minori ad maius materiem præbet argutiæ, ſi id quod minus eſt, in ſe ipſo ſpectatum, magnum & prope maximum videatur. Exemplo ſit exclamatio illa Ioannis Hieronymi Sopranis orat. 20. ex illis quinquaginta quæ de Chriſti morte vno eodemque volumine continentur. Exclamatio, inquam, in Pilatum qui Chri-

ſtum

ſtum flagellis cędendum dedit acerbiſſimis vt morti ſubduceret. *O immaniſſima clementia! quid facient qui ſæuient ſi ita ſęuit qui parcit? quantum erit atrocitatis in pęna ſi tanti ſtetit redemptio pęnę?*

Deriuari poteſt argutia à commutatione concinna rerum ſimul & verborum: vt eſt illa in Oratione habita ab Angelo Gallutio pro funere Cardinalis Cobellutij: vbi de eodem, quòd, Lauretana Virgine ſalutata, Romam reuerſus paulò poſt obijſſet, ita inquit. *Et æquum ſanè fuerat, vt ex eo terreſtri Cælo ad Cæleſtem veluti Terram deueberetur.* Parum diſtat ab hac commutatione illa Plinij in Panegyrico, *Non ideo viciſſe videris vt triumphares, ſed ideo triumphare quia viceris.*

Per quandam correctionem formari poteſt dictum argutum: ſi videlicet cum aliquid dixerimus, conditionem aliquam ſubdamus, quæ licet reuocare vel limitare videatur id quod dictum eſt, nihilominus re ipſa confirmat & amplificat laudem

dem vel vituperationem cuiuſpiam. Tale eſt illud de S.Io:Chryſoſtomo in elogio quod illi adornauit Aloyſius Iuglaris: *Vir in omnibus aureus, niſi quòd auaris placere non potuit*. Ita quoque intemeratus in ſuæ flore ætatis dici poſſet *Adoleſcens in omnibus candidus prætterquàm in rubore verecundiæ*.

Ingenioſiſſima etiam argutè dicendi ratio eſt, præſertim in concionibus, ſi id quod timoris & deſperationis cauſa futurum videbatur, in ſpei & ſecuritatis argumentum vertatur. Quod quidem eſt etiam intelligendum de reliquis affectibus inter ſe oppoſitis. Eiuſmodi eſt artificium Hegeſippi in libro de excidio vrbis Hieroſolymitanæ, dum Herodem Cęſari de Antonio triumphanti ſeſe ſiſtentem inducit vltro fatentem partes Antonij ſectatum ſe fuiſſe, & ex illo eodem nomine ſperantem ab Auguſto benignè ſe exceptum iri, ex quo potiùs ſibi debere metuere videbatur. *Ego*, inquit, *Auguſte fateor me fidelem*

lem ſuiſſe Antonio ſocium , vt pote qui ab eo Regnum acceperim ; cui me debitorem adhuc non abnuo . Vide quàm nihil ſubtraham : plus metuo apud te ingratus in hoſtem tuum quàm in te hoſtis videri . Iudicium mihi tuum grauius quàm bellum eſt : apud quem non virtutum merita ſed crimina periclitantur. Et non multò poſt artificij haud abſimilis benigniſſima reſponſio ab Auguſto ſubiungitur . *Salue , & nunc magis Regno tuo vtere : quia non inuidemus virtutibus ſed delectamur. Vicerit te Antonius, ſed non ego victum putabam, quem amicitia parem fecit victoribus . Adoriemur in reliquum vt non requiras Antonium : neque enim dignum eſt vt quem bello vicimus non vincamus beneuolentia .*

In tranſlationibus quibuſdam præcipuis, quæ ſimilitudinem non ita facilè obuiam decerpant ex rebus valde diſparatis & diſſimilibus, argutia ſita eſſe poterit . Talis eſt illa Senecæ lib. 3. natur. quæſtion. cap. 18. in luxum conuiuiorum, in quibus epulæ etiam ad ſpeciem delecta-

lectabiles apponuntur. *Non ſunt ad popinam dentibus & ventre & ore contenti: oculis quoque guloſi ſunt.* Et illa S. Ambroſij lib. 3. de Virginibus; *Io: Baptiſtæ Caput affertur in diſco tempore conuiuali. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur:* Eiuſmodi quoque eſt illa de duabus roſis, *quarum vna totam explicabat folioſi muricis ambitionem: altera ex alabaſtris nondum euoluta ſed ſubalbido flore lacteſcens, Candidata videlicet aſpirabat ad Purpuram.*

Licet de hyperbole ſuperiùs diximus, omitti tamen non debent quæ in hoc genere egregiè adnotauit Sfortia Cardinalis Pallauicinus in ſuis conſiderationibus de arte ſtyli. Inſignem igitur eam eſſe argutiam aſſerit, cum poſtquàm hyperbolem illuſtrem protulerimus, ad magis amplificandum, alteram maiorem in eodem genere ſubdimus. Affert exemplum deſumptum à Torquato Taſſo, qui poſt deſcriptam maieſtatem Regis Ægyptij ſublimi in ſolio inter media agmi-

agmina conſidentis , concludit : *Apelles forſitan aut Phidias Iouem formauit ſimili aſpectu*: atque hæc adeo magna videbatur exaggeratio vt vix creſcere poſſet hyperbole: cum ex improuiſo additur *ſed Iouem tunc tonantem*. * Et vt nos ex Latinis exempla proferamus, offert ſe primo loco Seneca in Hercule furente act. 3. ſc. 2. (à quo Taſſus prædictum dicendi modum deſumpſit) dum Plutonis ſpeciem deſcribens ait, *vultus eſt illi Iouis: ſed fulminantis*. Similiter ſatis expreſſa per hyperbolem videri poterat inſolita Serpentis magnitudo & vis lethalis à Statio lib. 7. Thebaid. dum conuerſus ad puerum ab ipſo occiſum, dixit.

Occidis extremæ diſtrictus verbere caudæ : cum repente creuit hyperbole, *Ignaro ſerpente puer*.

Magis etiam viuidę eiuſmodi exaggerationes euadunt, vtpote magis ab inexpectato, ſi per figuram correctionem exponantur . Hinc eſt

* Apelle forſe o Fidia in tal ſembiante Gioue formò, ma Gioue allhor tonante.

eſt argutia illa eiuſdem Taſſi ad exprimendum præſtantiſſimum artificium quo humanæ imagines in foribus palatij magicis artibus admirandi videbantur expreſſæ: Deeſt illis tantùm loquela: ſed nec iſta deeſt ſi fides oculis præbeatur. * Pariter apud Senecam in Hercule furente act. 3. ſc. 2. Theſeus in Herculis aduentu Megaram conſolatur dicens:

ſi noui Herculem,
Lycus Creonti debitas pęnas dabit

Lentum eſt dabit, dat: hoc quoque eſt lentum, dedit.

Addo ego argutę hyperbolis prę nobile genus eſſe cum, deprimendo, rem extollimus, & poſtponendo præponimus. Hinc de Principe præſtantiſſimo quis dixit: *Hoc vno minor es Parente tuo quòd filium qualem*

* Manca il parlar, di viuo altro non chiedi:
Nè manca queſto ancor ſe a gli occhi credi.

lem ille genuit tu gignere non potes: hoc eſt teipſo maiorem, ſicuti ſe ipſo maiorem te Pater genuit.

Argutiſſimè quandoque alicuius effectus propria & naturalis cauſa negligitur, vt cauſam aliam nobiliorem (dummodo veriſimilis ſit) adducamus. Hoc pacto de oculis S. Io: Baptiſtæ capite diminuti diſſeruit S. Ambroſius lib. citato. *Cerne Rex acerbiſſime oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes, auerſantes conſpectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis neceſſitate quàm horrore luxurię.*

Diximus de vocum ambiguitate generatim. Subiungimus nobiliorem quandam ſpeciem eiuſdem ambiguitatis: cum videlicet idem nomen diuerſis verbis coniunctum reddit quoque ſenſum diuerſum, & inexpectatam aliquam propoſitionem conficit. Huiuſmodi artificij eſt diſtichum Martialis in Cinnam lib. 3. ep. 60.

Eſſe

Eſſe nihil, dicis quicquid petis improbe Cinna:
Si nil Cinna petis, nil tibi Cinna nego.

Ingenioſæ huius argutiæ vis eſt in nomine *nil:* reſpondet quippe Poeta ſe omnia Cinnæ concedere & petitioni omnino facere ſatis dũ nil illi concedebat, ſiquidem res quas petebat nil eſſe dicebat ipſe Cinna.

Additur pondus argutiæ ſi moralem ſententiam ſimul exhibeat. Talis eſt illa Martialis lib. 5. ep. 43.

Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis:
Quas dederis ſolas ſemper habebis opes.

Ex nexu itidem contrariorum prodit ambigendo iſta: *Sancti Ioſeph mortem inter IESV ac MARIÆ amplexus dolorem ne dixerim an gaudium? At dolorem ſimul dicam & gaudium. Quid enim acerbius quàm hos*

ex

ex oculis dimittere? quid dulcius quàm ab his oculos claudi?

Non modò ex contrarijs ſed etiam ex *contradictorijs*, vt Logici loquuntur, formari poteſt argutia, cum nimirum rem aliquam eſſe dicimus quia non eſt aut non eſſe quia eſt, vel eſſe ſimul & non eſſe. e. g. *doleo quia non doleo*. Sic de viro ſanctimonia præclaro pęnas ob ſui Domini amorem anxiè quærente dictum argutè fuit: *Inſolitum planè pœnæ genus, pœnis expleri non poſſe*. Et S. Climacus gradu. 7. dixit, *Si non luges, propter hoc luge*. Et illud- *In cauſa Dei nihil æque metuendum ac metuere*. Itidem Val. Maximus lib. 2. cap. 10. de ingenita maieſtate virtutis procul ab extima pompa: *Quàm rectè quis dixerit longum & beatum honorem, eſſe ſine honore*. Et expreſſiùs celebris ille verſus Martialis,

Non bene ſemper olet qui bene ſemper olet.

Sicuti

Sicuti deprimendo extollere eximiæ eſt argutiæ, ita etiam extollendo deprimere non quidem per vulgarem hironiam ſed per talem quæ inſuetam & prope admirabilem defectus alicuius rationem oſtentet. In hoc genere eſt epigramma ſextum & quadrageſimum Martialis lib. 6.

Vapulat aſsiduo Veneti quadriga flagello
Nec currit: magnam rem, Catiane, facit.

Eiuſdem etiam ingenij fuit Gallieni Cęſaris reſponſum illis datum qui mirabantur miſſam ab ipſo coronam venatori, cum tamen hic taurum in arenam productum, decies tela contorquendo nunquam vulneraſſet. *Vix alius quiſquam quod hic potuit potuiſſet. taurum enim toties non ferire perdifficile eſt.*

Iucundum etiam argutiæ genus eſt cum in affectu aliquo vehementi

conſilium repente ſuſcipitur, ſed omnino diuerſum ab illo quod eiuſmodi affectus poſcere videbatur. Hac ratione luſit in Lupercum Martialis ep. 51. libri 6.

Quòd conuiuaris ſine me tam ſæpe Luperce,
Inuèni noceam qua ratione tibi.
Iraſcar licet vſque voces mittaſque rogeſque:
Quid facies? inquis. quid faciam? veniam.

Aliquando autem non in exitu inexpectato conſultationis ſed in formula qua præter expectationem ipſe exitus exponitur, arguta vis ineſt. Sic de Cordo ſibi ipſi mortem inferente ne iniquiſſimum Seiani iudicium ſubiret, dixit Seneca lib. de Conſolatione ad Marciam cap. 22. *Accuſatores, Seiano auctore, adeunt Conſulum tribunalia, queruntur mori Cordum vt interpellarent quod coegerant: adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quæſtione an mor-*

mortis rei perderentur. dum deliberatur, dum accuſatores iterum adeunt, ille ſe abſoluerat.

Opinionem aliquam quę publico errore non rem attentè conſiderantium inualuit aptè reſcindere grauioris eſt argutiæ. Idem Seneca de breuitate vitæ cap. 1. poſtquàm dixit, maiorem partem mortalium de naturæ malignitate conqueri quòd in exiguum ęui gignatur, adeout, exceptis admodum paucis, in ipſo vitæ apparatu vita deſtituat, ſubiungit. *Non exiguum temporis habemus ſed multum perdimus. Ita eſt: non accepimus breuem vitam ſed fecimus, nec inopes eius ſed prodigi ſumus.* & eiuſdem libri cap. 2. *Exigua pars eſt quam viuimus. cæterum quidem omne ſpatium non vita ſed tempus eſt.* & cap. 8. *Non eſt itaque quod quenquam propter canos aut rugas putes diu vixiſſe: non ille diu vixit ſed diu fuit.* & alibi: *quidam viuere incipiunt cum deſinendum eſt.*

Ad hoc genus reduci poſsunt

propoſitiones quędam admirandę, quę primùm quidē ſenſui ac experientiæ cōmuni refragari videntur : ſed maturiùs inſpectæ, conſonæ cenſentur veritati. Idem Seneca vt indicatum fuit ſectione vltima Tractatus de Affectibus, ita diſſerit. *Plus mihi nocitura eſt ira quàm iniuria. quid ni plus? illius modus certus eſt: iſta quouſque me latura ſit, incertum eſt. Maxima eſt factæ iniuriæ pęna feciſſe.*

Actiua paſſiuis vel per dubitationem vel alia ingenioſa ratione confundi argutè poſſunt. Vnde de Ætnęo gigante in hoſtile Cęlum flammarum iras vibrante dixit non nemo, *fulminatus an fulminans ille ſit, dubites.*

Si modum ſiue, vt aiunt, *medium*, aduerſum fini de quo ſit ſermo, cum eodem fine coniunctum exhibeamus, appoſita argutè nectemus: Atque ita de affligtante ſe ipſum vitæ Religioſioris aſperitate, ſed va-

vanam tantùm gloriam appetente aiebat Nicolaus Cauſinus, *Per Cæli viam ad Inferos properat.*

Neque tantùm in via aut modo comparatè ad finem, ſed in alijs etiam rebus ſeſe inuicem quocunque modo reſpicientibus quoties naturalis aut ſolitus ordo pulchra aliqua ratione inuertitur, argutum dictum exoriri poteſt. Inde eſt pulcherrimum illud initium libri primi Argenidis Barclaij, *Nondum Orbis adorauerat Romam, nondum Oceanus deceſſerat Tibri.*

Cęterum & cum figuris ac tropis coniungi poſſunt argutiæ & ex ijs omnibus argumentorum locis deriuari, quos M. Tullius in Partitionibus Oratorijs deſignat, & collectos videre eſt apud Cyprianum Soarium lib. 1. Artis Rhetoricæ. Sic e. g. à definitione Aſtrologi, cuius eſt rationem rerum Cæleſtium ducere, argutiam duxit Cicero Act. 4. in Verrem: *Nouus Aſtro-*

gus qui non tam cæli quàm cælati argenti rationem duceret. Ab Adiunctis eſt illa apud Velleium Paterculum in poſteriori volumine, vbi de Pompeij inſepulto cadauere ſic diſſerit. *In tantum in illo viro à ſe diſcordante Fortuna, vt cui modò ad victoriam terra deſuerat, deeſſet ad ſepulturam.* Atque huic effato addit argutum lumen Lucanus lib. 8. *Iniuria fati hoc fas eſſe iubet.* & paulò poſt nobilitare volens idem Poeta ipſum hoc infortunium Pompeij carentis honeſtiori ſepulchro, ſubiungit, *Romanum nomen & omne Imperium Magno eſt tumuli modus.* Sicuti autem Velleius argutiam ſuam duxit ab *Vbi* vno ex adiunctis, ita ex alijs Locis facile erit ingenioſo labori argutias varias depromere.

Præter recluſos à Cicerone copioſiſsimos fontes, vberrimam argutiarum ſegetem ſubminiſtrabunt ſumma illa rerum Capita & prima genera, quæ ab Ariſtotele vocantur *Prędicamenta*, atque ab eodem doctiſsimè ſingillatim explican-

cantur. Ex his autem, argutiarum potiſsimùm fęcunda ſunt iſta: *quantitas*, vt cum Philoſophis loquar, quæ diuiditur ab ijſdem in continuam & diſcretam, ſiue in magnitudinem ac molem & in multitudinem ac numerum. *relatio* hoc eſt nexus duarum rerum certo quodam ſibi inuicem ordine reſpondentium. *duratio* ſiue tempus eiuſque in notiſsimas partes diſtributio. *ſitus* corporis varius, quo modò iacemus, modò ſtamus, modò ſedemus, modò corpus variè inflectimus. *habitus*, quo comprehenduntur ea omnia quæ magis aut minùs ſplendide ac decorè hominem veſtiunt, arma, toga &c. Denique *actio & paſſio*, quæ diuerſas rerum affectiones, locutiones, geſtus, inceſſus, perpeſsiones moleſtarum rerum, aliaque idgenus complectuntur. A magnitudine eſt dictum illud Ferrarij orat 15. de S. Io: Baptiſta. *Iam verò vix natus puerulus tantus eſt, vt eius robuſtiſſimę Virginis brachijs excipi geſtarique*

 de-

debuerit quæ Deum ſuſtineret. A multitudine ſeu numero eſt illud Famiani Stradę lib. 3. prolus 4. de homine qui vigeſimo quarto edito ſternutamento animam efflauerat· *Tunc quidem facetus bellè factum reſpondit, vt qui vigeſimam quartam iam pulſauerat, ei innoteſceret*. Ab actione crudeli & à perpeſſione moleſtarum rerum fluxit conſideratio illa argutè pręclara Latini Pacati in Tyrannum immanem æquè ac auarum. *Parum ille pretioſum putabat aurum quod de montium venis aut fluminum glareis quæſitor Beſſus ſcrutator Callaicus eruiſſet. Illud purius ſplendidiuſque credebat quod dediſſent dolentes, quod hominum lacrimæ non amnium aquæ abluiſſent, nec è terrenis ſpecubus egeſtum, ſed è ceruicibus iuguliſque cæſorum eſſet effoſſum*.

Ad argutum dicendi genus reduci quodammodo poſſe videtur, vtpote planè oppoſita inuoluens, ſcriptio illa quę laudes quidem alicuius continet; ſi tamen inuerſo

ver-

verborum ordine legatur incipiendo ab vltimo, vituperationes omnino contrarias exponit. Tale eſt elogium illud Aulici ſuum apud Principem præpotentis. *Principis Iuſtiſſimi vota ſecutus per bella parabas pacem odiſti cædes dilexiſti iuſtitiam viciſti hoſtes Regis domeſticos auxiſti muneribus & pios amaſti non fuit eminentia ſuſpecta moderata in omnia egiſti Regi ſubditus fuiſti non abutendo conceſſa tibi Regia poteſtate probus in vita & factis aſsecla virtutis non vitij iuſſiſti capite plecti aliquot Proceres conſcios criminis nullius iura violaſti dum Regnum tuitus es non fudiſti ſanguinem innoxium.* Iam, ſi ab vltimo relegas ad primum, ſcriptio Encomiaſtica euadit Inuectiua redundans conuicijs. *Innoxium ſanginem fudiſti non es tuitus Regnum &c.* Pari, ſed propter metrum difficiliori, ratione, felicis ſimul & infelicis omnis elucet diſtichū illud de Henrico Octauo Angliç Rege, præ impuris inceſtiſque in vetitam Sponſam amoribus, ab obſequijs amantiſſimæ Matri Eccleſiæ Ca-

tholicæ debitis nefariè deficiente.

Henrico Octauo Coniugi adulteræ
& Coniugis adultero.
Coniugium tibi Rex fæcundent Numina longo
Semine nec ſterilis ſit tibi progenies.

Fauſtum omen: at inuerte pentametrum in hexametrum, & pro merito impij Principis apparebit planè infauſtum.

Progenies tibi ſit ſterilis &c.

Ad extremum argutas omnes è diſiunctorum aut etiam oppoſitorum coniunctione deriuatas rationes placet obſignare illuſtri ſanè epigrammate ingenioſiſſimi Recentioris, quo in vno Verbo Diuino Humanitatem noſtram induente, cuiuſcunque generis verba, licet contrarietatem præſeferentia, reperiri ſic oſtenditur.

Emmanuelis Bethlemici generum omnium Verbum.

I procul Emmanuel cui tot Præcepta loquendi:
Doctior in ſtabulo naſcitur Emmanuel.
Doctior & breuior, breuitas doctiſsima, in vno
Verbo verborum clauditur omne genus.
Cuncta olim fecit perfecit et omnia Verbum:
Actiuum verbum ſi potes eſſe nega.
Sed Caro iam factum eſt, pauper patienſque malorum:
Paſſiuum verbum ſic quoque format amor:
Hoc vnum de ſe eſt, Sum Verbo huic conuenit vni;
Hinc neutrum verbum noueris eſſe Deum.
Diuinam humanæ formam communicat; ergo
Communis Verbi nomen & omen habet.
Depoſita Numen ſtat maieſtate ſub antro:
Deponens Verbum quis neget eſſe Deum?

De Tribus Æternum Perſona eſt vnica Verbum:
Imperſonalis ſic gerit ergo vicem.
I procul Emmanuel, verbi genera omnia Verbo
Doctior eſt vno qui docet Emmanuel.

Breuiſſimè iam verò de ſummo altero argutiarum genere iuxta diuiſionem in fine Capitis ſecundi propoſitam. de ijs videlicet argutijs quæ reſultant ex eo quòd res antea ſuapte natura vel eędem vel coniunctæ, præter expectationem concinnè ac breuiter diſiungantur. Et quidem hæc diſiunctio accidere poteſt vel in vocibus vel in rebus. Rurſus in vocibus dupliciter poteſt accidere: vel diuidendo per diuerſum ſenſum voces illas quas priùs in eundem ſenſum cōiunxeramus, vel vnam eandemque vocem in plures alias voces ſenſum peculiarem formantes diſtinguendo. Primi modi exemplum extat apud Franciſcum Remondum, qui in fine

elegiæ ſecundæ Alexiados, Sancti Alexij Sponſam ita loquentem inducit.

O quoties cum me peteret malè ſana procorum
Turba, meus, dixi, ſolus Alexis erit.
Altera vera fuit, fuit heu! vox altera mendax,
Et ſolus ſed non diceris eſſe meus.

Secundi exemplum ſit illud in Eraſmum hæreticum ſacrorum Librorum corruptorem:

Libros cur ſacros rodebas ſemper? eras mus. Et illud aliud Bauhuſij lib. 3. epigr. ad Milonem Cordium:

Sint byſsina licet verba, Serum vellera
Peſtique cuncta quæ loquare ſint flores,
Sint plena mellis, plena ſint amoribus
Luminaque & ora & verba: facta ſi deſint

Iam

Iam nuda vox Amicus eſt & caſſa nux.
Cernitur Amicus amore, more, & ore, & re,

Loquendo iam de diſiunctione quam fingimus in rebus ipſis, exemplo ſit Medea apud Senecam actu 5. quæ, vt ſe commotam oſtendat ad mitiores affectus erga proprios filios, quos, præ ira in Iaſonem à quo reiecta fuerat, interimere parabat, ea vtitur loquendi forma, quam in Tractatu de Affectibus, vbi de Fuga diſſeritur, attulimus.

Cor pepulit horror, membra torpeſcunt gelu
Pectuſque tremuit, ira diſceſſit loco,
Materque tota, coniuge expulſa, redit.

Itidem Statius de prægrandi ſerpente lib. 5. Thebaidos:

Immanem ſeſe vehit ac poſt terga relinquit.

Et

Et Ouidius de Ixione rota circumacto, quaſi in eiuſmodi ſupplicio à ſe ipſo diuiſus eſſet, ingenioſiùs cecinit lib. 4. metamorph.

Voluitur Ixion & ſe ſequiturque fugitque.

CAPVT QVARTVM

Quinam ſit ſtylus proprius, & laudabilis vſus Argutiarum.

QVoad ſtylũ & ad vſum argutiarum, ea in mentem reuocare aliquantò magis explanata ſufficiat, quæ Capite primo ſub initium retulimus ex Quintiliani libro 12. capite 10. Dum enim inquit, *Feriunt animum & vno ictu frequenter impellunt, & breuitate ipſa magis hærent*, ſatis declarat, ſtylum argutis ſententijs conſentaneum eſſe illum, qui à dicendi Magiſtris Atticus appellatur; preſſus videlicet ac

ac limatus, omni verborum redundantia accuratè præciſa. Sic enim ex improuiſo ferire & ampliùs delectare valet argutia; cum in magna verborū copia vis acuminis deficiat & propemodum euaneſcat. ea ratione qua purpuriſſum aut quodcumque aliud pigmentum, ſi multa diluatur aqua, natiuam colorandi vim prope amittit: exiguo autem attemperatum liquore, colorem imprimit plenum ac nitidum. Et ipſum quidem nomen acuminis nonniſi breue quid ac ſubtiliùs attenuatum indicat: vt videlicet ſubitò pungere, faciliùs ferire, altiùs penetrare ac inhærere animo poſſit.

Dum verò ait idem Author, vtiles fore eaſdem ſententias dum rem contineant, & copia non redundent, ad victoriam ſpectent, & dictione perſuadeant; exponit, quales eſſe debeant, & qui modus in eis adhibendus ſit vt verè præſtantes eniteant.

Primò autem rem continebunt

ſi non ex meris verborum luſibus, nominum inuerſionibus aut repetitionibus conſtabunt; ſed diuerſarum rerum nexum aliquem cordatum ac ſimul lepidum animis audientium aut legentium exhibeant. Vno verbo cauendum, quod idem Author innuit, ne puerilibus ſententiolis Oratio laſciuiat, aut caſuris, ſi vel leuiter diſcutiantur, floribus niteat.

Ad victoriam verò ſpectabunt ſi non ad oſtentationem ingenij & ad oblectamẽtum vtcumque gignendum, verùm ad id quod dicimus vel probandum vel augendum vel illuſtrandum vel perſuadendum collimabunt.

Denique monemur, copiæ redundantiam in argutijs euitare: ne ſcilicet, ſi crebra hęc lumina & continua fuerint, ſibi inuicem officiant. Probari igitur minimè poſſunt Orationes, pręſertim longæ, quæ ex argutis dictis totæ concinnentur. nam præter rationem modò adductam, nimia illa copia non in-

interrupta faſtidium ac tędium facilè gignit; & in eiuſmodi Orationibus vera & germana eloquētię ſpecies vel non eſt vel ipſa acuminum copia obruitur. Nemo enim eſt qui non intelligat, & ſalem, à cuius ſimilitudine ſales quoque dicuntur argutię, licet condiendis cibis peropportunum, ſi nimius ſit non diplicere non poſſe: & noctilucas ſiue nitedulas (quibus Quintilianus arguta dicta compoſuit) ſicuti, ſi pauciores ſint & ex interuallis diſperſæ, non ſine delectatione conſpiciuntur, ita ſi cateruatim & copioſis denſiſque agminibus incederent, non eſſe iucundè illuſtraturas aerem ſed ingratè infeſtaturas.

TRACTATVS III

DE METAPHORIS.

CAPVT PRIMVM

Quid ſit Metaphora, & qua ratione fuerit inuenta.

Metaphora ex Greca voce Latinè reddita Translationem ſonat: quo nomine vſus eſt M. Tullius de illa differens. Translationis autem nomen, quippe quod latiùs patet & tantùm Rhetorica quadam facultate ad metaphoram eſt contractum, eiuſdem metaphoræ naturam expreſſè non indicat; adeoque definitionem exigit magis propriam. Vt igitur nunc omittam ſubtiliorem Ariſtotelis definitionem (de qua tamen inferiùs) clariorem hanc propono. Eſt metaphora, *verbi ad ſignificationem alienam rectè ducta translatio per ſimilitudinem aut proportionem*.

Por-

Porrò per hanc definitionem ſatis diſtinguitur Metaphora ab alijs Figuris vel Tropis: & licet ſimilitudinem inuoluat,in hoc tamen ſecernitur tum à ſimilitudine tum à cõparatione,quòd iſtę vnam rem conferunt cum alia adhibendo particulas illas *veluti*, *quaſi*, *tanquam*; metaphora verò vnum ſimile in aliud prope transformans, vſurpat ſimpliciter vnum pro alio. Exempli gratia ſi dicas, Scipiones in perniciem hoſtium fuiſſe veluti fulmina, ſimilitudo eſt.at ſi cũ Virgilio Æneidos ſexto dixeris,*duo fulmina belli Scipiadas*, metaphora erit.

Aduerte, particulam illam definitionis, *rectè ducta*, conuenire metaphoris quæ cum laude vſurpentur. quæ enim eiuſmodi rectitudine careant, potiùs informia translationum monſtra dicendæ ſunt (vt videbimus Capite quinto agentes de metaphorarum vitijs) quàm metaphoræ, hoc eſt præcipua Orationis lumina.

Quòd verò ſpectat ad prima-

me-

metaphoricæ locutionis initia, eſt metaphora, ſuapte quidem natura filia neceſſitatis, adoptione verò filia delectationis. Obſeruauit hoc acutè Cicero tertio de Oratore inquiens: *Tertius ille modus transferendi verbi latè patet, quem neceſsitas genuit inopia coacta & anguſtijs, poſt autem delectatio iucunditaſqe celebrauit. nam vt veſtis frigoris depellendi cauſa reperta primò, poſt adhiberi cepta eſt ad ornatum etiam corporis & dignitatem: ſic verbi translatio inſtituta eſt inopiæ cauſa, frequentata delectationis.* Hactenus Tullius.

Et quidem eiuſmodi neceſſitatis rationem exponit Ariſtoteles libro primo Elenchorum capite primo dum ait. *Vocum ſiquidem orationumque copia finita omnis eſt: res autem numero ſunt infinitæ; vt voce vna, oratione que eadem, res multas ſignificare neceſſe ſit.* Exempla translationum quas neceſſitas primò expreſsit, eſſe poſſunt *gemitus in vite, luxuries in herbis, lætitia in ſegete:* earum verò quæ tantùm ad ſermonis ornatum

adhiberi cæperunt, *mare horreſcens, ſæui turbines, orationis dulcedo*.

Atque hę ſecundi generis nobiliores ſunt, quippe quæ non ad orationis inopiam ſubleuandam, ſed ad augendum ei decorem inuentæ, non neceſsitatem ſed ingenij libertatem, ſplendidiſsimam quaſi parentem, nactæ ſunt. Eędem longè gratiores accidunt: cuius delectationis cauſa multiplex ab eodem Cicerone ſubiungitur loco citato.

Eſt autem diligenter annotandum id quod docuit Quintilianus libro octauo capite ſexto, rite transferri nomen aut verbum ex eo loco in quo proprium eſt in eum in quo aut proprium deeſt, aut translatum proprio melius eſt. Melius autem intelligitur, vel cum ſignificantius eſt, vt *lapſus errore*, *inflammatus cupiditate*, vel cum eſt decentius & ad maiorem ornatum, vt *generis claritas*, *concionum procellæ*, *eloquentiæ flumina*. Vbi verò nihil horum præſtabit, quod transfertur improprium erit.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Translationum diuiſio.

CElebris eſt quadripartita metaphorarum diuiſio, quę traditur à Quintiliano loco ſuperiùs laudato. Prima eſt cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur: vt cum dicitur *formica prudens*, *Scipio à Catone adlatrari ſolitus*. Secunda ſi inanima pro alijs generis eiuſdem ſumantur: vt ſi compelles ſydera *gemmas Cęli*. Tertia quoties pro rebus animalibus vſurpantur inanima, e. g. *animo fluctuare*. Quarta cum è contra pro inanimis animata, vt *mare ſæuiens* (*mugire tonitrua*, dixit Beda lib. 4. cap. 48. in Cap. XI. Lucę) Atque ex his poſtremis, ſubdit Quintilianus, *oritur mira ſublimitas*, quæ audaciæ proxima periculo translationis attollitur: cum rebus ſenſu carentibus actum quendam & animos damus; qualis eſt Æneidos octauo,

Pontem indignatus Araxes . quæ quidem ſublimitas duplicata perhibetur Æneidos ſeptimo, illo emiſtichio, *ferrumque armare veneno* ; neque enim minùs translatio eſt *veneno armare*, quàm ſit *ferrum armare*.

Ampliſſima hæc rerum genera *animatum & inanime* diuidi vlteriùs poſſunt pro vario conſiderantis arbitrio. Inanima enim partiri quis poteſt in ea quę Cęlo & ſingulis Elementis atque ipſis Inferis inſunt. Animata verò in ratione prędita, & in rationis expertia. Rurſus rationis expertia in ea quæ tantùm vegetantur, qualia ſunt plantæ, flores, arbores: & in ea quæ vegetantur ac ſentiunt, hoc eſt in belluas omnes. hę autem diſtinguuntur in animantium genera & ſpecies, ſuis ſingula in Elementis degentium. Deus & Angeli, licet propriè ſub animatorum genere non ſint, poterunt tamen inter res ratione prædita numerari.

His alijſque minutioribus ſibi propoſitis diuiſionibus tam circa

res

res naturales quàm circa artificioſas, atque illas quæ populorum inſtituto atque vſu inualuerunt, poterit vnuſquiſque ex vno in alium ordinem res ipſas aut aliquas earum proprietates transferre: ea tamen habita ratione ſimilitudinis, reſpectus, proportionis, & decoris, quam ſequentibus Capitibus exponemus.

Ariſtoteles, capite 20. Poetices, Translationem definiuit ac diuiſit in quatuor itidem partes, ſed longè diuerſas. *Translatio* (inquit) *eſt nominis alieni illatio vel à genere ad ſpeciem, vel à ſpecie ad genus, vel à ſpecie ad ſpeciem, aut etiam ſecundùm aliquod, quod proportione reſpondeat*.

Cauſam huiuſmodi partitionis affert Alexander Piccolomineus in ſuis ad Poeticam notis particula centeſima decima: quòd ſcilicet cum omnis Translatio ſimilitudine tanquam fundámento nitatur, tot exiſtant metaphoræ neceſſe eſt, quot rationes ſimilitudinis & conuenientiæ reperiuntur. Conueni-

re autem res poſſunt aut intrinſecùs in natura, aut extrinſecùs in ijs quę naturā circumſtant. Priori modo conueniunt cum genere ſpecies, cum ſpecie genus, & ſpecies cum ſpecie: vnde triplex exiſtet fundata in rerum natura Translatio. Poſteriore modo conueniunt quæ ad inuicem ſibi ſola proportione reſpondent: quæ quartam conſtituunt Translationis formam.

Ad explicandam vlteriùs hanc diuiſionem, omiſsis Ariſtotelicis exemplis, alia clariora proponam. Si pro *gladio ferrum* dicas, erit Translatio à genere ad ſpeciem. è contra à ſpecie ad genus ſi pro *quærere* honores, dicas honores *emendicare*. A ſpecie verò ad ſpeciem, ſi cū Iuſtiniano ſuarum Inſtitutionū initio dixeris, *Imperatoriam Maieſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam. Decoratum* enim & *armatū* ſpecies ſunt Maieſtatis imperantis; adeoq; inuicem translatę tertium modum conſtant. Denique ſi *veſperam* aſſeras eſſe *ſenectutem*

tem diei, & *ſenectutem* eſſe *veſperam vitæ*, vteris Translatione ducta à proportione, cum pari ratione ſe habeat ad diem veſpera qua ſenectus ad vitam,

Prima tamen & ſecunda diuiſio, hoc pacto expoſita, metaphoræ conuenit latiùs ſumptę, prout ſynedochem etiam complectitur. ſynedoche autem eſt quidem Translatio, ſed inter ea quæ ſe habent tamquam includens & incluſum: cum Metaphora iuxta traditam à nobis definitionem ſit inter extrema omnino diſtincta, quæ ſe reſpiciunt tantùm per ſimilitudinẽ aut proportionem: quod quidem conuenit tertiæ & quartæ parti diuiſionis Ariſtotelicæ.

CAPVT TERTIVM

Modus multiplex Metaphoras concinnandi.

GEneris ac ſpeciei ex laudata Philoſophi diuiſione conſi-

derationem aliter explicans Paulus Areſius in Volumine de Arte Sacrarum Concionum libro 3. cap. 12. illuſtrem explicat metaphoræ, vt à nobis ſtrictiùs ſumitur, concinnandæ rationem. Accipiendum eſt igitur, ex huius Authoris mente, genus illius rei cui intendimus metaphoram applicare, & cum ſub eodem genere ſint diuerſæ ſpecies, illæ aſsumantur quæ laudandę vel vituperandæ rei aptiores ſunt. Exempli gratia, laudanda eſt magnanimitas Achillis: in genere magnanimi ſunt tamquam ſpecies aquilæ, leones, heroes; vocare igitur illum poteris aquilam, vel leonem, vel Martem Græcorum. Eadem ratione te geres in genere oppoſito timidi, in quo conſiderabis ſpecies ignobiliores, videlicet leporem, columbam, Margitem & ſimiles: quibus vti poteris aliquem vituperaturus. Rurſus ſi illuſtrare nobili metaphora optas Rhetoricam, eius genus inquire, id autem eſt Ars. Deinde ſpecies artis

va-

varias, vt Picturam Muſicam Architecturam aut alias, contemplare. Ecce tibi ſtatim ornandæ Rhetoricæ offert ſe ſe metaphorica ratio. Quid ni enim illam dixeris, *Architectam* eſſe *dicendi*, ab Oratoribus ſermones ſuos *lepidiſsimè pingi* aut *colorari*? Atque hic eſt primus modus metaphoras acutè formandi ex comparatione ſpecierum certo quodam genere comprehenſarum.

Similitudo aut proportio, quartum Ariſtotelicę diuiſionis membrum, ſecundum exhibet modum multò ampliorem. Rei igitur quam illuſtrare contendis, proprietates & conditiones conſiderabis. deinde animaduertes quęnam aliæ (cuiuſcumque tandem generis exiſtant) ſimilem aliquam conditionē ſortitę ſint; ab his enim facilis Trāslationibus aperitur via. Exempli cauſa, optas metaphoris exprimere Cælum: perpende Cęli proprietates & conditiones. ingerent ſeſe in mentem eius rotunditas, ampli-

tudo, celerrimus motus, alięque: iam conuerte mentem ad alia quę his dotibus inſignita ſint: inuenies rotunditate præſtare rotas, amphitheatra, coronas, aliaque quam plura. Quin igitur Cęleſtes orbe appelles *infatigabiles ęternaſque rotas, Diuinitatis amphitheatrum, Mundi coronamentum*? Eadem facilitate Tranſlationes mutuaberis à rebus quæ magnitudine molis aut velocitate motus conſpicuę ſunt.

Verùm ſi rem velimus enucleatiùs explicare, per Metaphoras proportionis illę propriè intelliguntur ab Ariſtotele, quæ ex analogia conſtitutæ ſunt: analogia autem intercedit inter duo binaria, quorum vnitates proportionem ſimilem præferant. v. g. quedmadmodum corpora noſtra ſine mente, ita Ciuitas ſine lege, conſiſtere nequeunt. Cum igitur ſe habeat ſimiliter lex ad Ciuitatem ac ſe habet mens ad corpus, ſi transferendo inuicem extrema analogiæ dixeris, animam eſſe *corporis legem*, & legem eſſe *ani-*

mam

mam Ciuitatis, metaphoram profe-res quæ omnino ſit per proportio-nem. Ex eadem ratione rectè ap-pellaueris ſtellas *oculos Cęli*, oculos verò *ſtellas frontis*: iuuentutem *ver vitæ humanę*, ver autem *anni iuuen-tutem*: lacrymam *rorem oculi* & ro-rem *lacrymam Cęli*. Hinc quia pari-ter ſe habent volare in auibus ac nare in piſcibus ac in ijs quæ mo-uentur in aquis, Virgilius permu-tando proportionem inquit tertio Æneidos,

Linquimus Ortygiæ portus pelaga-
que volamus.

Quarto autem Georgicorum lo-quens de apibus,

Nare per æſtatem liquidam ſuſpe-
xeris agmen
Obſcuramque trahi vento mirabe-
re nubem.

Et quidem in hoc genere lepidiſſi-mæ ſunt Translationes illæ, quibus

inſtrumenta vnius rationis coniungimus actionibus rationis vel oppoſitæ vel longè diuerſæ. vt ſi aſſeras Cæſarem *gladio ſcripſiſſe, calamo pugnaſſe*, vel Magdalenæ lacrymas ad Chriſti pedes *ſilentio eloquenti peroraſſe* & *veniam præpotenter exoraſſe*. Vide Ariſtotelem 3. Rhetoric. cap. 4. num. 4.

Accedet quoque hac in re magis ac magis grata iucunditas, ſi aliquam eiuſmodi Tranſlationem alijs metaphoricis locutionibus ingenioſo veluti iure comprobaueris: prout octonario rythmo nobilis huius æui Poeta illam Cæſaris mox laudatam confirmare contendit. *

Obi-

* Spada la penna e penna al Gran Romano
La ſpada fù: con l' vna e l'altra vinſe.
La ſpada in viue note il monte il piano
Di ſanguinoſi inchioſtri aſperſe e tinſe;
La penna moſſa da guerriera mano
Morte homicida immortalmente eſtinſe.
Sì che con doppio onor tra ſtudi e riſſe
La penna guerreggiò, la ſpada ſcriſſe.

Obiter tamen aduerte, non ſemper licere reciproca ratione conuertere nomina, eaque vltro citroque transferre, ſicuti ſępe cum laude fieri ex ratione proportionis demonſtrauimus & exemplis firmauimus. Neque enim quia præclarę illę in Clodium congeruntur à Tullio, Oratione pro Milone, appellationes, dum illum modò funeſtam Reipublicæ peſtem vocat, modò flammam facem ac furiam Patriæ eiuſdemque procellam, modò portentum nefandam ac pernicioſam labem Ciuitatis, turbinem ac tempeſtatem pacis appellat: quia inquam eiuſmodi res rectè pro Clodio ponuntur, Clodius quoque loco earum ſubſtitui poſſet; & tempeſtas e. g. appellari Oceani Clodius. Cuius rei ratio inter cęteras videtur eſſe, quia tunc duo inuicem rectè transferimus, cum proprietas communis eſt in vtroque notiſſima; itaut vtrumque conſideranti primo intuitu ſeſe proprietas talis obijciat. Atque ita pulchra

claritas illico occurrens in gemma ac in ſtella, appellationes illis mutuò communes reddit. atqui audito Clodij nomine, non occurrit illico omnibus tamquam per ſe notus ille furoris turbidus impetus, tempeſtatis maritimæ proprius.

Ex eadem proportionis ratione res proprias vnius è noſtris ſenſibus transferes ad alias quæ ſint propriç alterius ſenſus; & ſic dices *bibere voces auribus* vel *bibulis auribus aliquem ſermonem haurire*, aliquid *oculis deuorare*, *ſerere verba*, & ſimilia. Serere enim quod manus eſt proprium transfertur ad linguam, quia ſimili proportione ſe habet manus in ſpargendo ſemine, ac lingua in verbis effundendis.

Ad hanc ipſam Translationum ſpeciem reduci poſſunt illæ, quæ mutatis inuicem eiuſdem rei laudatæ caſibus, orationem interdum venuſtiùs illuſtrant. quales ſunt cōpellantium heliotropium *florem Solis* & *Solem florum*, lilium *florem Regum* & *Regem florum*, margaritam

gem-

gemmam auroræ & *auroram gemmarum*, virtutem *felicitatem cordis* & *cor felicitatis*. Nam in his quoque intelligitur occulta illa proportio: quo pacto ſe habet ſol ad ſydera ita heliotropium ad reliquos flores; & ſic de cęteris.

Tertius modus peropportunus & vnicuique rei maximè aptus, eſt reſpicere varios ordines (*relationes* à Philoſophis dictos) quos res tibi propoſita habet ad res alias. Reſpectus autem iſti ſunt ad ſuas cauſas & effectus, ad paria, ad maiora, ad minora, ad contraria, ad antecedentia, ad conſequentia. Sit exemplum. Volo Solem deſcribere per metaphoras conglobatas: vt illas inueniam conſidero varios Solis reſpectus ſiue ordines; e. g. ad ſuam cauſam ſcilicet Deum, cuius dicam Solem eſſe *nitidiſsimam pulcherrimamque imaginem*, ad Cęlum ex quo Sol rutilat & dicam eſſe *oculum Cęli*, ad paria ſiue aliquatenus ſimilia qualia ſunt ſydera, dicendo eſſe *ſyderum Regem*, ad ſitum in quo-

quo eſt, dicendo eſſe *cor mundi*, ad effectus ſuos, ſubiungendo eſſe *diei aurigam* vel *fontem lucis ampliſsimum*, ad Mundum vniuerſum & aſſeram eſſe *lampadem in hoc Dei templo ſuſpenſam*, ad contraria (puta tenebras) aſſerendo ſolem eſſe *luculentiſsimam tenebrarum perniciem*. Omitto cęteros ordines, quos ex iſtis facilè intelliges.

Vt autem clarior accidat hic modus, oportet attendere in rebus ipſis ad quas ineſt hic ordo, quo pacto accipi ſoleant & definiri per metaphoras. Nam e. g. Mundus cum quo reſpectum habet Sol, videtur aliquibus animal, alijs templum Dei, alijs theatrum. Si igitur Sol comparetur ad Mundum quatenus animal dicitur, appellari poterit *mundi cor* aut *oculus*, ſi tamquam cum templo *magnificentiſsimi huius templi æterna lampas*, ſi vt ad theatrum, dices ſolem *Actorem* vel *Spectatorem primarium qui Dei partes agat*, aut *ſpectaculum omnium ſplendidiſsimum*. Quòd ſi Solem ſyderibus

com-

compares, ſi hæc ex aliorum ſententia ſunt *militia Cęli*, huius ille *militiæ Dux* erit, ſi *illuſtris verè familia*, illius erit *clariſsimus Parens*, ſi *funebres faces*, hiſce facibus Solis funeri parentabitur. Qui modus quàm elegans ſit, patet: plures enim metaphoræ conglobantur, quarum vna magis elucidat aliam: quod quidem in praxi clariùs apparebit.

CAPVT QVARTVM

Præcipuus metaphoras inueniendi modus ex conſideratione Naturæ & Artis.

PEculiaris hic modus ad facilè ingenioſèque Translationes indagandas deriuandus eſt ex rerum Vniuerſitatis conſideratione, iuxta Quintiliani diuiſionem in res animatas ac inanimes & in ſpecies vtriſque ſubiectas: tam quæ Cęlo quàm

quæ

quo eſt, dicendo eſſe *cor mundi*, ad effectus ſuos, ſubiungendo eſſe *diei aurigam* vel *fontem lucis ampliſsimum*, ad Mundum vniuerſum & aſſeram eſſe *lampadem in hoc Dei templo ſuſpenſam*, ad contraria (puta tenebras) aſſerendo ſolem eſſe *luculentiſsimam tenebrarum perniciem*. Omitto cęteros ordines, quos ex iſtis facilè intelliges.

Vt autem clarior accidat hic modus, oportet attendere in rebus ipſis ad quas ineſt hic ordo, quo pactò accipi ſoleant & definiri per metaphoras. Nam e. g. Mundus cum quo reſpectum habet Sol, videtur aliquibus animal, alijs templum Dei, alijs theatrum. Si igitur Sol comparetur ad Mundum quatenus animal dicitur, appellari poterit *mundi cor* aut *oculus*, ſi tamquam cum templo *magnificentiſsimi huius templi æterna lampas*, ſi vt ad theatrum, dices ſolem *Actorem* vel *Spectatorem primarium qui Dei partes agat*, aut *ſpectaculum omnium ſplendidiſsimum*. Quòd ſi Solem ſyderibus com-

compares, ſi hæc ex aliorum ſententia ſunt *militia Cęli*, huius ille *militiæ Dux* erit, ſi *illuſtris verè familia*, illius erit *clariſsimus Parens*, ſi *funebres faces*, hiſce facibus Solis funeri parentabitur. Qui modus quàm elegans ſit, patet: plures enim metaphoræ conglobantur, quarum vna magis elucidat aliam: quod quidem in praxi clariùs apparebit.

CAPVT QVARTVM

Præcipuus metaphoras inueniendi modus ex conſideratione Naturæ & Artis.

PEculiaris hic modus ad facilè ingenioſèque Translationes indagandas deriuandus eſt ex rerum Vniuerſitatis conſideratione, iuxta Quintiliani diuiſionem in res animatas ac inanimes & in ſpecies vtriſque ſubiectas: tam quæ Cęlo quàm

quæ

quæ ſingulis Elementis atque ipſis Inferis continentur, & quæ tum ex Natura rerum omnium Parente tum ex humanę artis ſiue inſtitutionis ingenio conſiſtunt.

Quare initio à Natura ducto, Cęlum primò conſideratione percurres, eiuſque Circulos ac Zonas multiplices, Solem, Lunam, Sydera, ſigna Cęleſtia, Deum, Deiparam, Angelos, alioſque Cęlites, Beatitudinem ſeu Gloriam, ſiue Beatorum Regiam; & videbis, poſſis ne inde decerpere quidpiam ſimile rei de qua eſt ſermo, ad metaphoram concinnandam. Atque ex Cęleſtibus deriuatæ ſunt celebres illæ Metaphoræ, *Iuſtitiæ Sol*, *mortalis Angelus*, *frontis ſydera*, *animatum Cęlum*.

Deinde ad aeris regionem delabens explorabis, an ab ipſa aeris natura, à nubibus, à ventis, à pluuijs ac tempeſtatibus, ab iride, à fulminibus, à tonitruis, à cometis, à grandine niue rore, ab vniuerſa auium familia, ab omnibus deni-

que

que, quæ aut in aere habitant aut in aere peraguntur, deducere ſimiliter queas aliquid argumento tibi propoſito Translationibus decorando percommodum. Ex aere deſumpta ſunt illa tam frequentia, *belli fulmen, tempeſtas ſanguinis, turbo bellorum, eloquij imber, iris pacis, ingeniorum phœnix*.

Idem inſtitutum tenebis in mari, in quo piſces, concas, margaritas, corallia, inſulas, ſcopulos, ſyrtes, vortices, acceſſum & receſſum, fluctus, procellas, naufragia, tranquillitatem ſeu malaciam, aliaque vndarum propria, cogitatione permeabis. E mari emerſere Translationes illæ, *ſcopuli difficultatum, patrimonij ſyrtes, labiorum corallia, eliquatæ ex oculis margaritæ, cordis malacia, gulæ gurges, animo fluctuare*.

Campus tamen longè ampliſſimus peruestigandis Metaphoris aperitur in terris (ſi præſertim recenſeantur artes & earum inuenta, de quibus inferiùs) vbi ſeſe offerunt montes, valles, campi, nemora, na-

antra, ſolitu dines, voragines, lacus, fluuij, fontes, arbores, flores, metalla, gemmæ, marmora, bruta animalia, homines, virtutes ac vitia animantibus ingenita, morbi ac peſtes, ignis eiuſque incendia (licet enim ignis peculiare Mundi Elementum ſit ſub Cęlo proximè diffuſum, quia tamen nihil intra ſe ibi continet eo quòd inhoſpitalis & infęcundus, & in terra noſtris ſenſibus expoſitus reperitur, hìc eum placuit recenſere) E terris deducta ſunt *eloquentiæ flumina, felicitatis fons, telorum ſylua, flos ætatis, dicendi campus, adamantinum pectus, animorum lues, Martis incendium.*

In his omnibus Mundi partibus, ſi diligenter excutiantur perſonæ aliæque res earumque proprietates & actiones, nullo ferè negotio ſimilitudinum pulchra varietas mẽti obuerſabitur. Neque pigeat in Inferorum quoque regionem eiuſque infeliciſſimos habitatores & quę ibi luuntur nullis mitiganda ſupplicationibus ſupplicia animi oculos defige-

figere : nam ex illo quoque infelicitatis regno felices tibi Metaphoræ ſubnaſcentur . Et quidem ex obſcuro illo terrarum carcere clariſſimam planè Metaphorã aſſumpſit M. Tullius in oratione pro Sexto Roſcio Amerino , dum malas cogitationes & rei animi conſcientiam appellauit *aſsiduas domeſticaſque furias , quæ dies noctéſque pœnas à conſceleratiſsimis repetant*.

Conſimili ſtudio artes omnes luſtrabis earumque opificia nobiliora , quibus adiungere poteris quicquid ex inſtitutione ſacra vel ciuili à Populis vſurpatur : quales ſunt dignitates Pontificum ac ſacerdotum, Imperatoriæ & Regales, Principatus , magiſtratus eorumque leges ac ritus tum ſacri tum profani , præmia & ſupplicia ab illis preſcripta . Quod igitur ad artes attinet, reuolues e. g. Architecturam & in ea domos , templa , Baſilicas, Regias , theatra , triumphales arcus , pyramides , arces , Capitolium , mau-

mauſolęa, ſepulchra funerumque apparatus varios, portas, portus, męnia, vrbes, ac ſimilia. Deinde contemplaberis artem Militarem cum ipſius armis ac machinis inſtrumentis & actionibus: Agriculturam eiuſque labores & artificia varia: Muſicam eiuſque inſtrumenta complura: Picturam, Sculpturam, Medendi artem, Nauticam, artes omnes Liberales ac denique mechanicas. His adnectere potes ſpectacula publica, ludos priuatos, venationem, piſcatum, conuiuia, vno verbo actiones humanas & pręſertim illas quæ ſtudio aliquo peculiari exercentur. Atque hic vberrimus fons Translationes illas dedit, *portum ſalutis*, *innocentiæ propugnaculum*, *gloriæ theatrum*, *eloquentiæ coloribus expingere*: & illas quibus Chriſtus Dominus *Rex dolorum* dictus eſt aut *Princeps pacis*: Roma verò *Cœli veſtibulum Superumque Colonia*, Cęlumque ipſum *Immortalitatis Regia*, *beatitatis ſedes*; eamque eximiè pulchram è Pſalmo 40.

Lin-

Lingua tua cocinnabat dolos.

Expeditiſsima ad hoc ipſum ratio eſſet habere ad manus vocabula propria cuiuſque artis, tam ea quæ ipſorum artificium & artificiorum ac inſtrumentorum nomina quàm illa quæ Verba eorum munerum propria exprimunt. E. g. aliqua ex nominibus, ad militarem ſpectantibus ſunt duces milites ſpeculatores gladiatores, alia ex Verbis, prouocare arietare propugnare vallare munire ac decertare: ex vocibus verò ipſos actus aut inſtrumēta bellica exponentibus ſunt irruptio aggreſſio ſeditio ſtratagemma ſuppetiæ enſis clypeus lorica baliſtæ bombardæ. Ex ijs verò quæ ad nauticam ſpectant aliqua ſunt nauta remiges pyratæ naufragi cynoſura, iactari turbinari emergere, denique rudentes tranſtra carbaſa anchoræ. Poſita hac nominum Verborumque cognitione vide quàm facilè transferre poſſis vnum ab alio.

Si enim ſit deſcribenda tempe-

ſtas,

ſtas, poteris ſumere Metaphoras ab ijs quæ in ſerie propoſita ſunt propria rei bellicę, dicendo *digladiari ventos, præliantes committi fluctibus fluctus, cum ipſis penè aſtris mare confligere: dum interim inflatæ ventorum tubæ certamen vndis indicunt &c.*

Iamuerò ſi deſcribenda ſit hoſtilium agminum pugna, ijs vti poteris quæ ſunt maritimæ tempeſtatis propria vt prę ſertim referuntur ad Nauticam, dicendo *fluctuare victoriam: vix vnum aliquem è tot tantiſque bellorum fluctibus enatare:* vt videre eſt in hac deſcriptione. Quàm dira in nos fuerat excitata tempeſtas quando varijs bellorum acti turbinibus ingemuimus: cũ hinc plumbeæ grandinis nimbi, illinc bombardarum tonitrua, inde præuia ęneis fulminibus fulgura ipſis etiam ſtrenuis meliorem animi partem eriperent; cum quiſque tanquam in naufragio facultates egereret, & in imminenti mole malorum ſupremam perniciem expectaret &c.

At-

Atque hæc ratio deſcribendi per quamiucunda accidit, ſi preſertim continuetur Metaphora ita vt in Allegoriam tranſeat, non illam quidem puram ſed proprijs immixtam quæ ei obſcuritatem magnopere minuunt.

Vides iam quàm facili certaque ratione per Naturæ Artiſque contemplationem, rerum Vniuerſitatis partibus earumque ordinibus nominibuſque grata inter ſe perturbatione translatis, ex ipſo Mundo prodiens nouus quaſi Metaphorarum Mundus ſeſe tibi det in conſpectum.

CAPVT QVINTVM

Quæ ſint in Translationibus fugienda.

CVm metaphora, vt diximus, præcipuum eſſe debeat Orationis lumen, vitanda ei præcipuè erit obſcruritas. Hæc autem oriri ſolet,

Pri-

Primò ſi metaphora ducatur ab aliqua proprietate rei non facilè omnibus nota.atque inde eſt,quòd licet à ſaphiro cor humanum recreari periti tradant, non ideo Amicum à quo itidem recrearis, rectè dixeris *cordis tui ſaphirum*.

Secundò ſi contineat aliquid decerptum ab hiſtorijs fabuliſue, quę vix ipſi eruditorum memoriæ illico ſuppetant. Hinc intelligi vix poſſet qui, inhumanè opem negantes egenti appellaret *generis humani ranas*: eo quòd videlicet in fabulis habeatur (apud Ouidium quinto metamorphoſeos) ruſticos aquæ hauſtum ſitienti Dianæ inhumaniùs negantes, ab ipſa in ranas verſos fuiſſe.

Tertiò ſi ſumatur à proprietate, quæ, licet nota ſit, non eſt tamen primaria aut quæ ſtatim incurrat in animos audito rei nomine. E. g. proprietas adamantis eſt durities, eiuſdem etiam dos eſt candor: ſed hęc poſterior conditio non eſt pręcipua & quę ſtatim ſeſe in mentem

in-

ingerat. Idcirco ſi quis niuem dixerit *pluuiam adamantinam*, obſcuriſſima Translatione candorem ipſum inuoluet. Atque in hoc peccare autumant aliqui Metaphoram illam qua Paulus Tertius Mediolanum eſſe dixit *Helenam Italiæ*, ad ſignificandum, tot illud bellorum cauſam fuiſſe inter Gallos & Cęſarem: cum tamen Helena notior ſit venuſtate fæminea quàm bello, quod quidem ex ipſa venuſtate rapiente ſimul ac rapta duxit originem.

Cauſa tamen potiſſima obſcuritatis eſt illa quam Ariſtoteles indicat tertio Rhetoricorum. *Obſcuræ, inquit, fiunt Translationes ſi longè petantur*. Atque ex hoc nomine Gorgiam Leontinum reprehendit, qui negotia vt leuia & parui momenti ſignificaret appellauit *pallida* atque *exanguia*. Peccauit ſcilicet Gorgias, quòd ſimilitudinem ab animantibus, quæ ſi ſanguine carent palleſcunt, traduxit ad ea hominum facta quibus vis deſit & efficacia: è

lon-

longinquo nimirùm accerſita proportione; propior enim illa fuiſſet ſi *imbecillia* negotia vocaſſet: cum inter exangue & factum non efficax, intercedat imbecillum: ex eo enim quòd quis exanguis eſt euadit imbecillus adeoque minùs efficax in agendo. Et quidem in hunc ſenſum mentem ſuam clariùs explicat Philoſophus loco citato, dum ait, *Videndum eſt ne longè ducantur Translationes, ſed ex propinquis & eiuſdem generis*. Ex quibus verbis & ex reprehenſo ſuperiùs Gorgiæ exemplo intelligi poteſt quid plerùmque ſit Translatio longè petita: nempe eſt cum inter verbum translatum & rem cui illud accomodatur intercedit aliquid aliud quod aptiùs & magis propriè, aut per ſe aut iuxta hominum notitiam coniungi cum re illa videatur.

Dixi *aut per ſe aut iuxta hominum notitiam*, vt explicarem quo pacto hac in re non aduerſetur Ariſtoteli Craſſus apud Ciceronem tertio de Oratore dum inquit: *Videndum*

eſt

eſt ne longè ſimile ſit ductum. ſyrtim patrimonij, ſcopulum libentiùs dixerim: charybdim bonorum, voraginem potiùs; faciliùs enim ad ea quæ viſa quàm quæ audita ſunt, mentis oculi feruntur. Primo enim aſpectu diſcrepantia non leuis videtur eſſe, dum ex vna parte longè petitas Translationes vetat, ex alia approbat illas quæ à genere non à ſpeciebus ducuntur: cum tamen rebus ſingulis viciniores ſint ſpecies quàm genera. ſed aduertendum eſt, aliqua, licet ſuapte natura viciniora ſint, ab hominum tamen notitia remotiora eſſe: & in hac ratione viciniores ſunt vorago & ſcopulus quos plures viderunt, quàm charybdis maris Siculi monſtrum, aut ſyrtes Africi maris ſinus. Quamobrem illa longiùs petita ex mente Ciceronis dicenda ſunt, quæ minùs ſunt cognita: qua in re nihil Ariſtoteli aduerſatur.

Loquendo autem in vniuerſum, ex genere non verò è ſpeciebus deſumenda videtur metaphora, quo-

longinquo nimirùm accerſita proportione; propior enim illa fuiſſet ſi *imbecillia* negotia vocaſſet: cum inter exangue & factum non efficax, intercedat imbecillum: ex eo enim quòd quis exanguis eſt euadit imbecillus adeoque minùs efficax in agendo. Et quidem in hunc ſenſum mentem ſuam clariùs explicat Philoſophus loco citato, dum ait, *Videndum eſt ne longè ducantur Translationes, ſed ex propinquis & eiuſdem generis*. Ex quibus verbis & ex reprehenſo ſuperiùs Gorgiæ exemplo intelligi poteſt quid plerùmque ſit Translatio longè petita: nempe eſt cum inter verbum translatum & rem cui illud accomodatur intercedit aliquid aliud quod aptiùs & magis propriè, aut per ſe aut iuxta hominum notitiam coniungi cum re illa videatur.

Dixi *aut per ſe aut iuxta hominum notitiam*, vt explicarem quo pacto hac in re non aduerſetur Ariſtoteli Craſſus apud Ciceronem tertio de Oratore dum inquit: *Videndum*

eſt

eſt ne longè ſimile ſit ductum. ſyrtim patrimonij, ſcopulum libentiùs dixerim: charybdim bonorum, voraginem potiùs; faciliùs enim ad ea quæ viſa quàm quæ audita ſunt, mentis oculi feruntur. Primo enim aſpectu diſcrepantia non leuis videtur eſſe, dum ex vna parte longè petitas Translationes vetat, ex alia approbat illas quæ à genere non à ſpeciebus ducuntur: cum tamen rebus ſingulis viciniores ſint ſpecies quàm genera. ſed aduertendum eſt, aliqua, licet ſuapte natura viciniora ſint, ab hominum tamen notitia remotiora eſſe: & in hac ratione viciniores ſunt vorago & ſcopulus quos plures viderunt, quàm charybdis maris Siculi monſtrum, aut ſyrtes Africi maris ſinus. Quamobrem illa longiùs petita ex mente Ciceronis dicenda ſunt, quæ minùs ſunt cognita: qua in re nihil Ariſtoteli aduerſatur.

Loquendo autem in vniuerſum, ex genere non verò è ſpeciebus deſumenda videtur metaphora, quo-

ties nota illa peculiaris per quam ſpecies diſtinguitur à genere (quæ nota dicitur à Philoſophis *differentia*) nihil magis confert ad exprimendam rem ſimilem in quam ſpecies transfertur eo, quod ſimplex genus conferret, & diſſimilitudinem potiùs aliquam ob oculos ponit: quod quidem in translatione vitioſum eſſe nemo non videt. Atque adeo rectè dixeris ſi ad exprimendam vim lacrymarum ingentem aſſeras te fudiſſe *fluuium lacrymarum*, non ita rectè ſi dicas *Tyberim lacrymarum*. tum quia, vt diximus nullam maiorem vim hæc fluminum ſpecies videtur afferre (ſpeciem ſumo hic Rhetoricè non Logicè) ad exprimendam ſimilitudinem, & quærere abs te quis poſſet, cur Tyberim potiùs quàm Eridanum? tum quia Tyberis quoad ſuas peculiares rationes conſideratus plura ingerere animo poſſet longè diſſimilia à ſpecie lacrymarum è tuis oculis defluentium,

Confirmatur hæc eadem regu-
la

la à contrario, ab illis nimirum exemplis in quibus venuſtius apparet, metaphoram deſumere à ſpecie quàm à genere, eo quòd ſpecies plus aliquid ſimilitudinis exprimat. Sic pulchriùs dices de viro aliquo ſanctimonia illuſtri, ipſius pectus ſubinde inundante beari *Cęleſtium gratiarum Iordane* quàm ſi dicas *fluuio Cęleſtium gratiarum* irrigari. Iordanis quippe flumen pluribus olim Cęli miraculis clarum fuit, ſanctorumque vicina inhabitatione, ipſiuſque Chriſti baptiſmate, conſpicuũ. Eadem de cauſa aptiùs & elegantiùs lacrymas appellabis *liquidas margaritas* quàm *liquidas gemmas*, & ſignificantiùs Beatum Aloyſium Gonzagam *pudoris lilium* quàm *pudoris florem*.

Cæterùm peculiariter obſeruandum eſt id quod ibidem à Philoſopho præſcribitur, dum inquit, *In verbis adhibeatur Translatio quæ neque ſit aliena, arduum enim eſt videre: neque vulgaris, nihil enim mouet*. Quæ Ariſtotelis ſententia clariùs intelli-

gitur ex illis quæ proxima his antea dixerat: nimirum non probari illa argumenta, quæ in promptu ſunt (ſunt autem in promptu quæ nemini ignorantur, nullaque diſquiſitione ad ea percipienda opus eſt) neque illa laudari quę cum prolata ſunt, adhuc tamen non percipiuntur; ſed probari illa quæ ſiue ſtatim ac edita ſunt nos in ſui cognitionem ducunt etiamſi priùs nihil ſciremus, ſiue, licet paruo interuallo animus noſter poſterior ſit, intelligentia tamen celeriter comprehenduntur vbi iam dicta fuere. Hoc enim modo animaduertimus, nos aliquid diſcere: quæ ſcientia aut perceptio rerum non contingit vbi res aut obſcuriores ſunt quàm vt intelligi queant, aut tritæ adeo atque obuiæ, vt nihil noui in illis addiſcamus. Denique *Obſtat quicquid non adiuuat*, ait Quintilianus cap. 6. citato.

Secundum igitur metaphoræ vitium, nihilo minùs, ex Ariſtotelis ſententia, obſcuritate ipſa vitan-

dum

dum, eſt nimis tritam eſſe ac vulgarem. Neque enim magis refellenda videtur aliena ex qua nihil percipitur, quàm communiſſima ex qua nihil planè noui percipitur. Eſt autem aduertendum, non in numero reijciendo vulgarium recenſeri illas quæ communi vſu receptæ vim propriarum vocum penè obtinuerunt, vt e. g. *ſplendida oratio*, *prata ridentia*: ſed illas tantùm nomine obuiarum improbari quæ à vulgaribus Oratoribus repetita faſtidium potiùs auribus afferunt quàm voluptatem, vt ſi in exordijs ad captandam beneuolentiam preceris Auditores, vt *ſuæ benignitatis zephyro aſpirent ad hoc vt Orationis nauicula portum feliciter ſortiatur*.

Obſerua itidem tritas euadere Translationes, licet ex ſe ſatis venuſtas, ſi ſæpius quàm par ſit in eadem Oratione repetantur. Si enim alicuius Sancti viri animum inter Cœleſtes commentationes *inſolitæ voluptatis ambroſia delibutum* ſemel

dixeris, laudem promereberis: at ſi vbi occaſio recurrat ſimiles mentis dulcedines explicandi, eadem metaphora vtaris, trita illa euadet, ſeu potiùs tu ipſe tritam illam facies: quippe ex qua nihil iam verò noui Auditor percipiet niſi faſtidium. Atque hoc vitium eò magis vitandum eſt quò maior magiſque inſolita metaphora apparebit: iſta enim faciliùs Auditoris animum, cui altiùs hæſit, excitabit.

Tertiò Translatio reprehenditur ſi indecora. Talis autem primò cenſebitur ſi ridicula prodeat in re ſeria, vt ſi quis ſydera appellet *aureos nummos trapezitæ Cæleſtis*, vel *aureos clauos lacunaris Cælitum*. aut ſi initio concionis aliquis ſeſe illuc inſcendiſſe iactaret, quaſi *ſuggeſti bucephalum frænaturus*. Similes tamen metaphoræ quæ in re ſeria non riſum modò ſed ſibilos ſibi merentur, in ludicris & comicis plauſus ſubinde ſibi iure merito vindicant. ſic in Plauti Amphitrione Soſia, vt noctem plus æquo longam ad-

mi-

mirans exprimat, lepidè ait:

Credo Ædepol dormire ſolem adpotum probè;
Mira ſunt, niſi inuitauit ſeſe in cęna pluſculum.

Indecora etiam erit Metaphora ſi deſumpta à rebus vilibus, ſordidis, aut turpibus. Ex hiſce eſt illa quam in Furio poeta meritò reprehendit Horatius lib. 2. Sermonum Satyra quinta,

Iuppiter hybernas cana niue conſpuit Alpes.

Ex eodem nomine tanquam ineptiſſimus refellitur apud Cauſinum lib. 2. de Sacra & humana Eloquentia cap. 22. Pompeianus Philadelphenſis, qui ſe Amicos ſalutatum prodire dictitabat, poſtquàm *barbam calceaſſet.*

Verum quidem eſt, licere à rebus vilibus Trāslationes deſumere cum ſceleſtæ operationes, aut aliæ labes

Reipublicæ, ſunt vituperandæ (vt enim præſcribit Ariſtoteles tertio Rhetoricorum cap. 2. *cum laudare velis à melioribus; cum vituperare, à peioribus eorum quæ in genere ſunt, ducenda Translatio eſt*) Proinde non indecorè quempiam hominem perditum *peſtem* aut *ſentinam* vel *ſceleſtorum fecem* appellaueris. Sed id moderatè præſtandum eſt & ita res attemperanda vt Auditorum aures animoſque minimè offendat: vt offendere videntur Quintiliano cap. 6. *Reip. vomica & ſtercus Curiæ*.

Denique ex Ariſtotele libro ſuperiùs ſępe laudato indecora erit Translatio non modò cum plus æquo ſe demittet ad comicam humilitatem & riſum, verùm etiam cum nimiam granditatem affectabit. Exemplo ſit vitioſus ille modus cuiuſdam Rhetoris reprehenſi apud eundem Cauſſinum loco citato, qui pro concione dixit; *perduelles cum campos pacis ſuſtuliſſent & belli montes fabricati eſſent, in neptunias lacunas eſſe depellendos*.

Quar-

Quartum maximumque vitium eſt diſſimilitudo ſiue proportionis defectus: ſiquidem, vt Capite ſecundo oſtendimus, in ſimilitudine ac proportione fundatur vis ac natura Translationis. Hinc M. Craſſus apud Tullium loco ſuperiùs laudato monuit, vt in Translatione vitaretur in primis diſſimilitudo; reprehenditque Ennium qui dixerat *Cæli ingentes fornices*. Contulit autem Poeta arcus ædificiorum, qui totum circulum non complent cum Cæli ambitu æquabiliter rotundato. Quam metaphoram probaturus populo Ennius licet ſphęram attulerit in ſcenam, & in ſphęræ hemicyclo oſtenderit figuram Cæli, nihil tamen effecit: cum in fornice duo latera ab imo recta in altitudinem certam ſurgant, deinde verò in teſtudinem faſtigientur: in hemicyclo verò ſphæræ, ſicut neque in tota ſphęra, nulla recta latera attollantur.

Quia verò diſcrimen inter plura quæ minùs ſimilia ſunt, vel in ex-

ceſſu contingit vel in defectu, idcirco ad hoc diſſimilitudinis vitium reuocantur verba metaphorica quę rem pro qua ponuntur, aut excedunt aut non attingunt. Ratione exceſſus reprehenditur à Craſſo ille qui intempeſtiuam commeſſationis crapulam cum tēpeſtate comparans diceret, *tempeſtate commeſſationis iactari corpus humanum atque ſubmergi*, aut *epulas commeſſantium tempeſtate proſterni*. Defectum verò [hoc eſt cum minùs ſignificat verbum translatum quàm ſignificaſſet proprium & ſuum) eodem loco prohibens Craſſus hoc ſubdit exemplum: ſi quis procellam magno in terram impetu proruentem vaſtantemque ſegetes appellaret *tempeſtatis commeſſationem*. Similiter ex vtroque capite reprehendendus videtur qui callum appellaret *manus montem* aut vice verſa montem appellaret *terræ callum*.

Verum quidem eſt, in re grandiori audacem potiùs quàm nimis religiosè meticuloſum eſſe expedire,

re, dummodo temeritate non armetur audacia. Atque hæc audax ſublimitas, quæ vt mira celebratur à Quintiliano & cum periculo tranſlationis attollitur, oritur præcipuè [vt Capite ſecundo diximus] quando pro inanimis animata ponuntur. Sic *ſibilare tempeſtatem* licebit dicere cum eodem Quintiliano declamatione 12. *gemere antennas* cum Plinio Iuniore Epiſtolarum lib. xj. epiſtola 26. apud quem videbis, Oratori aliquando licere ita efferri altiùs vt ſæpe accedat ad præceps: nam plerumque altis & excelſis adiacent abrupta. *Tutiùs per plana ſed humiliùs & depreſſiùs. Frequentior currentibus quàm reptantibus lapſus. Sed his non labentibus nulla laus, illis nonnulla laus etiamſi labantur.* Hæc Plinius.

In hac tamen re periculi plena duo aduerte. Primum eſt, quò metaphoræ quædã auda...
tis tantùm permiſſæ...
ſolutam n...
Claſſi enim...

ſexto Æneidos cum laude dicitur, non ſine reprehenſionis nota diceretur in proſa. Alterum eſt, ſicubi temeritatis periculum immineat, vel appareat, attemperandas eſſe Tranſlationes illis particulis, *vt ita dicam, quodammodo, ferè, penè, prope* & ſimilibus. Ad mitigandam tranſlationem Scriptores accurati ſolent quoque metaphoris addere epitheta, quorum ea vis ſit, vt dictum quod primo aſpectu nimis audax videbatur, iam valde congruens & decorum appareat. Sic diſputationem inter doctos longè tutiùs *eruditam pugnam*; virum innocentiſſimis moribus præditum, meliùs *mortalem Angelum*, quam abſque vllo epitheto *Angelum* aut *pugnam* dixeris. Hæc autem appoſita ſiue epitheta vt debent eſſe minuentia, ...um metaphora peccaret per ex...ſum, ita eleuantia cum per de... ...Minuens eſt (vt indicaui... ...reſpectu Angeli: ele... ...lampa... ...antis,

quæ

quæ pro Sole poneretur.

Quintum denique vitium non è ſingulari quapiam metaphoricæ dictionis proprietate, ſed ex nimia metaphorarum frequentia oritur, quæ orationem ænigmati ſimilem & è ſapientum virorum iudicio frigidam reddit: cum præcipuè interueniat non rarò tranſitus ab vna metaphora in alteram longè remotam: qui tranſitus in eadem ſententia & periodo vitio carere non ſolet. Vnde Quintilianus lib. 8. cap. 6. *Multi*, inquit, *cum initium à tempeſtate ſumpſerint, incendio aut ruina finiunt: quæ eſt inconſequentia rerum fœdiſſima*. Tali vitio peccaret qui, ad exprimendos æternis pœnis punitos, diceret, *nequiſſimos homines nunquam extinguendis in incendijs naufragium facere*.

CAPVT VLTIMVM.

Tranſlationis laudabiliores proprietates.

LIcet peculiarem in Tranſlationibus laudem conſecuturus ſit quiſquis enumerata à nobis Capite proximo vitia ſedulò euitare ſtuduerit, & aliquas Tranſlationum virtutes data occaſione alijs Capitibus ſparſim indicauerimus: placet tamen hìc diſtinctiùs inſigniores earumdem dotes exponere & ſuo quaſi loco recenſere.

Quoniam igitur delectatio, vt dictum fuit, finis eſt Tranſlationis, optima ea cenſenda erit metaphoræ ratio quæ ſit aptiſſima ad hunc finem. Talis autem procul dubio exiſtet illa quæ admirationem maiorem excitet, aut animo rem gratam propiùs admoueat.

Et primò quidem admirationem pariet nouitas, ſiue dicendi modus à vulgari remotior, & præſertim ſi contrarietatem quandam argutam inuoluat. Eiuſmodi ſunt illæ

(etiam

(etiam in Tractatu de Argutijs à nobis laudatæ) apud Martialem lib. 3. Epigrammate de Syrenis

Sirenas hilarem nauigantium pænam,
Blandaſque mortes, gaudiumque crudele.

Secundò admirabilis accidet metaphora ſi grandior, ſublimior, addo etiam audacior ſit, dummodo temeritatis fines non inſiliat, vt ſuperiùs monuimus. Atque tales præſertim ſunt tum quæ animam rei inanimæ tribuunt, vt cum dicimus *mare lambit arenas*, *pontem fluuius indignatur*, *ſagitta cruorem ſitit* aut *bibit* (*Inebriabo ſagittas meas ſanguine; & gladius meus deuorabit carnes,* inquit ipſe Deus Deuteron. 42. ad exprimendos iracundiæ ſuæ effectus:) tum illę *per quas aliquis appellauerit quod alienum eſt* (quæ ſunt Ariſtotelis verba in Poetica) *remouens aliquid ei proprium*. Affert Philoſophus exemplum clypei quem quis appellaret *poculum ſine vino*.

Cui

Cui ſimiles eſſe poſſent metaphoræ, ſi quis Iridem appellaret *Arcum ſine ſagitta*, ſiue *innocentem*, Poeſim *picturam eloquentem*, Picturam verò *mutam Poeſim*: Iudicem *legem animatam*, legem autem *mutum Iudicem*.

Quod verò ſpectat ad alterum delectationis fontem, eum eſſe ſupra indicauimus ſi rem quam ſignificat, animo altiùs gratiùſque admoueat. Summam quippe laudem verbi transferendi exiſtimauit cum Ariſtotele etiam Craſſus apud Tullium tertio de Oratore eam eſſe vt *ſenſum feriret* id quòd tranſlatum eſt: hoc autem fit ſi Tranſlationem conſtituat ob oculos. Talis eſt illa Eſionis, qui (Athenienſibus in Siculos bellum adornantibus tanto apparatu vt quadraginta hominum millia, & ducentas ſexaginta triremes in eam Inſulam tranſmiſiſſe Iſocrates teſtetur in oratione de Pace) dixit, *Athenienſes in Siciliam effudiſſe Ciuitatem*: quæ *& Tranſlatio eſt*, inquit Ariſtoteles 3. Rhetor.

cap.

cap. 10. *& conſtitutio ante oculos*. Exhauriri enim vrbem, & ex ea hominum turbam, tamquam è vaſe aquam, effundi, cernere ſibi videntur Auditores. Similes etiam ſunt apud Ciceronem Philippica ſecunda dum ait, *Oceanus, mediusfidius, vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam citò abſorbere potuiſſe*. Et dum ſubdit, *me quidem miſeret parietum ipſorum atque tectorum. Quid enim vnquam domus illa viderat, niſi pudicum?* Vt videtis *abſorbere* & *videre* voces translatæ ſenſum in his vehementer afficiunt.

Eſt autem obſeruandum ex Ariſtotele ibidem, ea nomina ſubijcere aliquid ſenſibus quæ actionem, motumque ſignificant, non quæ otioſa quaſi ceſſant & quieſcunt. Exemplum ſit deſcriptio Verris apud Ciceronem actione 2. *Ipſe inflammatus ſcelere & furore in forum venit: ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat*. Quibus in verbis *inflammari*, *ardere*, *emicare*, ſicut

actuo-

actuoſum quid ineſt, ita vim ineſſe ad rem oculis admouendam ſatis conſtat.

Aduerte itidem, eas metaphoras rem clariùs ob oculos ponere, quæ non modò rem ipſam exprimunt, ſed & aliquam eius proprietatem ac modum quo res fit. Atque ita rectiùs dixeris *pluere ex oculis lacrymas* quàm *ſcaturire*: *pluere* enim explicat modum quo lacrymæ cadunt, quem non explicat *ſcaturire*.

His virtutibus ornatę Methaphoræ lucem addere Orationi ſolent eximiam. Et quidem ſublimiores, ac magis viuidæ aptiſſimæ ſunt ad deſcribendum grande aliquid, vel ad affectus valde concitatos exprimendos. Iſtarum autem, omniumq; generatim Tranſlationum, frequentior eſt vſus in vincta quàm in ſoluta numeris Oratione: cum fictio & audacia Poeſi magis conueniant.

LAVS DEO.

INDEX RERVM.

A

ACVMINA. à pag. 96. ad 112.
Adiuncta. 61.
Æneas. 22. 49. 52. 66. 67.
Affectus. ab 1. ad 87.
vt definiuntur ac diuiduntur. à 2. ad 5.
vt mouentur. à 5. ad 11.
Alexander Magnus. 37. 48. 51.
S. Alexius. 157.
Alpes. 49. 51.
Ambitioſus. 132.
Amicitia vera. 157. 158.
Amoris affectus. à 16. ad 25.
Amoris flammæ. 118.
Annibal. 20. 21.
Annominatio. 118.
ARGVTIÆ. ab 88. ad 162.
ſæculo noſtro florentes. 88.
vt olim in vſu. ab 88. ad 95.
qui nam de ijs Præcepta tradiderint. ab 88. ad 95.
vt bene definiuntur. 96. & ſeq.
vnde originem duxerint. 95.
varia nomina ſortitæ. 95.
vt diſtinguuntur ab acuminibus. 96. & ſeq.
per ſimplicem alicuius facti expoſitionem. 113. 114.
veritatem aliquam admirabilem exponentes. 113. 114.
in metaphora illuſtri. 115. 138. 139.
variarum ſpecierum. 115. & ſeq.
ex vocibus ambiguis. 116. 142. 143.
phantaſticæ. 117.

AR-

ARGVTIÆ ex annominatione multiplicis generis. 118. & ſeq.
oſtentantes ſpeciem virtutis in vitio. 120. 121.
miſeriam vt felicitatẽ exhibentẽs. 121. 122.
ex effectu talis cauſæ improprio. 123.
ductæ ex modo quidpiam agendi inſueto. 123.
præferentes id quod poſthabendum videbatur. 124.
nectentes plura longè diuerſa. 124. 125.
ductæ à fictis laudibus. 125. 126.
negare viſæ id quod magis confirmant. 126
retorquentes argumentum. 127. 128.
exhibentes vt maius id quod videbatur minus. 129.
ex varia vnius eiuſdemque vocis acceptione. 129. 130.
ex inexpectata obſeruatione in factum quod narratur. 130.
ex hyperbole. 130. 139. 140. 141.
fundatæ in ſententijs variarum diſciplinarum proprijs. 131. 132.
è ſacris vel humanis teſtimonijs aut ritibus ductæ. 132. 133.
ductæ ex adagijs. 135.
ex argumento à minori ad maius. 135. 136.
ex mutatione concinna rerum ac verborum. 136.
per correctionis figuram. 136. 137.
vnius affectus materiam vertentes in materiam affectus oppoſiti. 137. 138.
præferentes dum poſthabent. 141. 142.
poſthabentes dum præferunt. 145.
omiſſa cauſa propria cuiuſpiam rei, aliam

ve-

veriſimilem adducentes. 142.
ARGVTIÆ iunctæ moralibus ſententijs. 143.
per dubitationem. 143. 144.
ex contrarijs aut etiam ex contradictorijs 144. 145.
ex conſilio vel concluſione præter expectionem. 146.
ex propoſitionibus quæ communi ſenſu repugnare videntur. 147.
actiua paſſiuis ingenioſè confundẽtes. 14
per medium fini non congruens. 148. 14
ex inuerſione naturalis aut conſueti ordinis. 149.
ductæ ex tropis, figuris, alijſque loc. Rhetoricæ proprijs. 149. & ſeq.
ductæ ex Prædicamentis. 150. & ſeq.
per ſcriptionem laudantem ſimul ac vituperantem. 152. & ſeq.
ex diſiunctione vocum vel rerum, de ſe coniunctarum. 156. & ſeq.
quem ſtilum & vſum exigant. 159. & ſeq.
Ariadna. 42.
Attilius Regulus. 50.
Atys. 114.
Audaciæ affectus. à 48. ad 55.
S. Auguſtinus. 124. 125.
Auguſtus Imperator. 85. 86. 87.
Aulicus præpotens laudatus ſimul ac vituperatus. 153.

B

Bellum. 45. 188.
Breuitas vitæ. 147.

Cæ-

C

CÆſar Dictator. 54. 176.
S. Catharina Senenſis. 99. 100.
Cato. 91.
Chriſtus Dominus in Virginis vtero. 124.
colapho percuſſus. 135.
flagellis cæſus. 136.
corona ſpinea plexus. 133.
pauper & ditans. 123.
Cinna. 85. 86. 87.
Conceptio B. V. Immaculata. 132.
Confeſſionum S. Auguſtini liber. 84.
Conuiuium Cæſareum. 56.
Coquum ineptum puniens. 128.
Cordus ſibi necem inferens. 146. 147.
Coriolanus. 63.

D

DEbitis ſoluendis impar. 126.
Delectatio. 21. 22. 23.
Deſiderij affectus. à 65. ad 68.
Deſperationis affectus. 42. 43.
Dicendi genera tria. 93.
Dido Regina. 43. 67.
Domitianus. 56. 58.

E

ELogia ſimul & conuicia. 153. 154.
Eloquentia. 1. 14.
Emanuel Bethlemicus. 54. & ſeq.
Ennij metaphora vitioſa. 201.
Eraſmus. 157.
Exemplorum illuſtrium vis. 24.

Fa-

F

FAcundia. v. Eloquentia.
Figuræ aptiores ad excitandos affectus. 11. 12.
Fontis labentis murmur. 105.
Fortuna 24. 123.
Fratres hoſtes. 64.
Fugæ affectus. à 69. ad 73.
Fulmina. 110.

G

GAudij affectus. à 55. ad 59.
Gloria Cæleſtis. 23.
Gorgias Leontinus. 191.
Græci libertatem amittentes. 134.

H

Hæres prodigus. 127.
Henricus VIII. Angliæ Rex. 153. 154.
Hercules. 141.
Herodes. 137. 138.
Honeſtas. 17. 18. 19.
Honorius Imperator. 59. 114.
Hyppolitus. 73.

I

IMago ad viuum. 141.
Inuidus. 115.
S. Io: Baptiſta. 142. 151.
S. Io: Chryſoſtomus. 137.
Iocaſta. 64.
Ioſeph Prorex Ægypti. 99.

S. Io-

S. Ioſeph Sponſus B. V. 143. 144.
Iræ affectus. à 74. ad 79.
Iuno. 35. 66. 76.
Ixion. 159.

L

LAtona. 75.
Leo parcens prædæ. 105.
Ludouicus XIII. Galliarum Rex. 98.
Luxus in conuiuijs. 139.

M

MAieſtas ſeuerior. 139. 140.
Manſuetudinis affectus. 5. 6. & ab 80. ad 87.
MARIA Virgo Sanctiſſima 126. 132.
S. Matthæus Apoſtolus. 135.
Medea. 70.
Mediolanum. 191.
Metaphoræ. à 163. ad 210.
vt definiuntur. 163.
vt diſtinguuntur à cæteris tropis vel figuris. 164.
vnde ortum habuerint. 164. & ſeq.
qua diuiſione ſint conſiderandæ. 167. & ſeq.
quibus modis concinnentur, à 171. ad 181.
ductæ ex conſideratione Naturæ & Artis. à 181. ad 189.
quibus vitijs interdum laboreat. à 189. ad 205.
quibus præſertim dotibus illuſtrentur. à 206. ad 210.

Me-

Metaphoræ in Poeſi frequentiores quàm in ſoluta numeris Oratione. 210.
audaciores permittuntur facultati Poeticę, non Oratoriæ. 203.
Miſericordiam perperam excitans. 92.
Mouendi affectus ars vt præſtat. 1. 2.

N

Nero Imperator. 52. 57.
Nerua Imperator. 98. 101.
Nilus. 122.
Niues. 117.
Noctilucæ ſiue nitedulæ. 161.

O

Occiſor ſui ipſius. 146. 147.
Odij affectus. à 25. ad 33.
Odoris nimia præſtantia. 144.
Orator qualis eſſe debeat. 7. 8. 9.
ambiguè mouens. 92. 105.
veſtium cultui intentus. 125. 126.
ſæpe idem repetens. 131. 132.

P

S. Patritius Epiſcopus. 68.
S. Peccatum. 151.
S. Petrus Apoſtolus. 115.
Pluto. 140.
Pompeius Magnus. 54. 150.
Prædicamenta. 104. 105.
Principium petere. 131. 132.
Priamus. 108.
Propertio in metaphoris. 173. & ſeq.

Pro-

Proſodiæ ignarus. 129.
Punctum Terræ. 123.

Q

R

Ridicula vt fugienda in metaphoris. 198. & ſeq.
Roma. 47. 48. 121. 124. 149.
Roſæ. 133. 139.

S

Sal & Sales. 95. 113. 116.
Scipio Africanus. 92.
Sententiarum genera. 96.
Serpens vaſtæ molis. 140. 158.
Serui apud Græcos 134.
Sol. 179. & ſeq.
Somnia. 68.
Spei affectus. á 34. ad 41.
Spoletanus fons. 105.
B. Staniſlaus Koska. 133.
Statua Salis. 116.
Sternutamentum lethale. 158.
Stylus aptus ad mouendos affectus. 10.
Stylus argutiarum proprius. 159. & ſeq.
Suſanna. 71. 72. 73.
Syrenes. 103.

T

Tabachus. 133. 134.
Tempeſtas. 188.
Tempus. 127.

Ter-

Terra. 123.
Theodoſius Imperator. 95.
Tiberius Imperator. 95.
Timoris affectus. à 44. ad 48.
Torquati filius. 121.
Traianus Imperator. 18. 19. 57. 122. 136.
Tranſlationes. vide Metaphoræ.
Triſtitiæ affectus. à 60. ad 64.
Troiani. 31. 47. 52. 66. 76.
Tyberis. 193.
Tyrannis amabilis. 1.
Tyrannus. 114. 129. 152.

V.

Vana gloria. 149.
Venti. 59.
Verba omnia in vno Verbo. 154. & ſeq.
Verres. 117. 119. 135. 149. 209.
Veturia. 63.
Vilia vt metaphoras dedeceant. 199. 200.
Vitæ breuitas. 147.
Vmbra S. Petri Apoſtoli. 115.
Vſus argutiarum vt eſt laude dignus. 88. & ſeq. 111. & ſeq.
Vtilitas. 19. 20. 21.
Vxor Loth. 116.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google